UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# R.D. Iacobi Marchantii Vitis Florigera

**Marchantius, Jacobus**

**Coloniae Agrippinae, 1661**

Lectiones Opvscvli II. Marialis, Fimbriæ variegatæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-56381

Visual Library

1. Primò, *Sit laus Deo Patri*, tamquam Patri Mariæ, ſimulque tamquam Patri eiuſdem cum ipſa Filij. Sit decus Chriſto, tamquam Mariæ vnigenito Filio ſicut & Patris. Sit laus Spiritui ſancto & honor, tamquam eius Sponſo & Fecundatori.

2. Secundò, *Sit laus Deo Patri*, de cuius ore prodivit primogenita ante omnem creaturam per prædeſtinationem & electionem. *Sit laus & ſummo Chriſto decus*, qui eam oleo lætitiæ præ conſortibus repleuit per diuinam vnctionem & vnionem. *Sit laus & honor Spiritui ſancto*, qui eam exornauit omnibus ſuis donis.

3. Tertiò, *Sit laus Deo Patri*, propter Mariæ creationem. *Sit Summo Chriſto decus*, propter Mariç redemptionem. *Sit Spiritui ſancto honor*, propter Mariæ ſanctificationem. *Sit Trinitati indiuiduæ laus indiuidua*, propter Mariæ glorificationem.

4. Quartò, *Sit laus Deo Patri*, qui ſuam Mariæ communicauit potentiam. Sit ſummo Chriſto & Filio Dei decus, qui ſuam ei communicauit ſapientiam. Sit honor Spiritui ſancto, qui ſuam ei communicauit bonitatem.

5. Quintò, *Sit laus Deo Patri*, qui eam conſtituit omnium noſtrorum Matrem. Sit ſummo Chriſto decus, qui eam diuini ſui operis & redemptionis conſtituit Adjutricem. Sit Spiritui ſancto honor, qui eam voluit eſſe ſalutis & ſanctificationis noſtræ Mediatricem. *Hom. contra Neſtorium.*

Hæc omnia ponderans, ſic Mariam alloquitur S. Cyrillus Alexandrinus. *Per te Trinitas ſanctificatur, per te Crux pretioſa celebratur & adoratur toto orbe terrarum. Per te exultat Cœlum, lætantur Angeli & Archangeli, fugantur Dæmones, & homo ipſe ad Cœlum revocatur. Per te omnis creatura idolorum errore detenta, cõverſa eſt ad agnitionem veritatis, & fideles homines ad ſanctum Baptiſma pervenerunt, atque in toto orbe terrarum conſtructæ ſunt Eccleſiæ. Te adjutrice gentes veniunt ad pœnitentiam. Quid plura? Per te vnigenitus Dei Filius, vera illa Lux, effulſit ſedentibus in tenebris & vmbra mortis. Per te Prophetæ pronunciarunt, per te Apoſtoli ſalutem gentibus prædicarunt. Quis poterit tuarum laudum encomia explicare Maria Mater & Virgo?* Hæc ille, Epinicia canens Mariana poſt victoriam reportatam de Neſtorio eius hoſte.

Omnia verò hæc encomia Mariæ in Trinum & vnum Deum refluunt, vt diximus, quia Maria opus eſt perfectiſſimum totius Sanctiſſimæ Trinitatis ad extra, poſt humanitatem Filij: ideoque hîc concluditur per hæc verba: *Tribus honor vnus*; quia cùm opera Trinitatis ad extra ſint indiuiſa, ſingulis Trinitatis perſonis ex hoc opere ſuo perfectiſſimo æqualis provenit & indiuiſus honor.

Hoc ſignificatum videtur S. Virgini Gertrudi, de qua ſic legitur, *li. 4. cap. 12 Inſinuationum diuinæ pietatis. In die Annunciationis Dominicæ, ſub Matutinis, dum cantaretur Aue Maria, vidit tres riuulos efficaciſſimos, procedentes à Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, cor Virginis Matris ſuauiſſimo impetu penetrare, & de corde ipſius rurſum efficaci impetuoſitate ſuam originem repetere. Intellexit autem ex illo influxu Sanctiſſimæ Trinitatis, hoc Beatiſſimæ Virgini donatum, quòd ipſa eſt potentiſſima poſt Patrem, ſapientiſſima poſt Filium, benigniſſima poſt Spiritum ſanctum. Agnouit etiam, quod quoties Salutatio Angelica cum devotione recitatur, prædicti riuuli efficaciori impetu ſuperabundantes, circumfluunt Beatiſſimam Virginem. Et ex altero reinfluunt cor eius ſanctiſſimum; ſicq; cum mira delectatione repetunt Fontem ſuum. Ex illa autem redundatione, vena quædam gaudij & æternæ ſalutis reſperguntur in omnes Sanctos & Angelos; & inſuper in illos, qui in terris commemorant illam ſalutationem, per quam renouatur omne bonum in ſingulis, quod vmquam per ſalutiferam incarnationem Filij Dei ſunt adepti.* Hæc ibi. Itaque à Maria gratia, gaudium, lætitia in nos quidem profluit, ac in beatas animas: refluit autem tota laus & gloria in Sanctiſſimam Trinitatem, tamquam in originem & fontem omnis gratiæ, gaudij & lætitiæ, laudis & gloriæ, quæ in Maria reperitur, ac per eam alijs communicatur. Sic rectè poſt omnes eius laudes & præconia hîc canimus & repetimus:

*Sit laus Deo Patri,*
*Summo Chriſto decus,*
*Spiritui ſancto*
*Tribus honor vnus.*

Concludo ergò hoc Opuſculum Marianæ Laudis verbis Viri pientiſſimi noſtri ſæculi, & dico: *A te Auguſtiſſima Regina, quam ſine fructu nullus implorat, etiam atque etiam reverenter oro, vt hoc qualecumque obſeruantiæ erga te meæ teſtimonium ratum habere velis. Non ſum ego Ephrem, fateor, vt cum illo dicere audeam: Dignare me laudare te, Virgo ſacrata: Nec ſum Damaſcenus, vt nouos Hymnos dignitati tuæ ſpondeam: nec Ildephonſus, vt ob ſuſcepta pro te certamina proprio munere coboneſter. Satis præmij retulero, ſi me albo tuorum, non dicam amicorum aut filiorum, ſed clientulorum & ſeruorum ſaltem adſcribi patiaris.*

*FIAT, FIAT.*

---

# OPVSCVLVM II. MARIÆ AVGVSTÆ FIMBRIÆ VARIEGATÆ,

## Sive DE VARIIS CELEBRITATIBVS & Congregationibus Beatiſſimæ Matris.

PRæclarè inſtitutum eſt pleriſque in locis, vt Virginis Deiparæ laudes ſingulis menſibus ſpecialiter decãtentur, ſiue in Sodalitio Roſarij, ſiue in Sodalitio Carmeli,

meli & Scapularis ſacri, ſiue in alijs Sodalitijs in honorem Beatiſſimæ Virginis erectis & frequentatis. Vt igitur occaſionem demus Paſtoribus & Concionatoribus Virginis encomia in pijs Congregationibus iſtis depromendi, adjecimus & hoc alterum Opuſculum de B. Virgine Maria varietate Thematum adornatum, ideoque vocauimus illud, *Maria Auguſta Fimbrias variegatas*, quia & de *Pſal. 44.* hac Regina ſcriptum eſt: *Aſtitit Regina à dextris tuis, in veſtitu deaurato circumdata varietate.* Variæ enim Congregationes quibus colitur, variæ laudes quæ promuntur, varia Symbola & Inſignia, quæ in eius gratiam geſtant eius pij cultores, variæque preces quæ ei offeruntur, ſunt velut Fimbriæ polymitæ & deauratæ quibus ornatur, quæ & ei gratæ ſunt ac Filio eius Ieſu Chriſto.

---

## LECTIO I.

Thema. *Hæc eſt præclarum vas paracleti Spiritus Sancti. Antiph.*

*Explicat Elogia B.M.V. ex dicta Antiphona Eccleſiæ.*

INTER Titulos honorificos, qui Mariæ Deiparæ antur ab Eccleſia ſancta in Litanijs Virgineis, in tres hîc conſideratione digni ſunt *Vas ſpirituale, Vas honorabile, Vas inſigne devotionis*: quibus hic quartus Titulus conſonat: *Præclarum Vas Spiritus ſancti.* In magna domo, inquit Apoſtolus, *non ſolùm ſunt vaſa aurea & argentea, ſed etiam fictilia & li-* *2. Tim. 2.* *gnea: & quædam quidem in honorem: quædam autem in contumeliam* Felix eſt, qui in domo Dei ſe habet tamquam *Vas in honorem ſanctificatum, & vtile Do-* *2. Tim 2.* *mino, ad omne opus bonum paratum.* Tale Vas fuit Maria, mundiſſimum, puriſſimum, ſanctiſſimum: *B.M.V. quale Vas* Vas gratiæ plenum & ſanctitatis: Vas humilitate profundum & capaciſſimum, ac diuino amore, cœleſtibuſque donis refertum: Vas ſapientiæ & ſcientiæ ſupereminentis: Vas optimè & ſanctiſſimè ad omne Dei beneplacitum diſpoſitum, & ad Spiritus ſancti abundantiam omnem per chariſmata ſpiritualia ſuſcipiendam, concinnatum. Immò, Vas ipſo Deo plenum. Propterea hæc omnia de ea cantatur: *Hæc eſt præclarum Vas Paracleti Spiritus ſancti.* Et quia hanc inter omnes creaturas Deus ſpecialiſſima electione & dilectione honorauit, immò & electionis noſtræ Mediatricem fecit: ideò vult eam ſpecialiter honorari & glorificari. Propterea *Vas honorabile*, ſiue omni dignum honore *Eccli. 43.* audit, Cœlis & Terris ſpectabile, tamquam *Vas admirabile, Opus Excelſi.* Denique, quia hoc ſpirituale Vas diuinæ gratiæ non ſolùm plenum fuit, ſed etiam nobis ſupereffluens, & in nos refundens gratiam & cœlica dona, vnctionem & chariſmata odoratiſſima; hinc etiam dicitur *Vas inſigne devotionis.* Odoramentis pietatis & devotionis erga Deum plena fuit in terris, & ſuperplena, in cuius corde quotidiè offerebatur incenſum Thymiamatis ex omnibus aromatibus virtutum compoſitum in Cœlum vſque ſpirans ſuauiſſimè. Et nunc quoque illius odor totam Dei domum replet, & ad ſe attrahit Fideles animas, vt ſimili pietatis & devotionis affectu Deum colant. Vultque Dominus vt ad eam accedamus, & devotionem de eius plenitudine hauriamus, qua cor & anima noſtra perfundatur. Non ergò negligamus; quandoquidem & ad id invitemur canentes: *Hæc eſt præclarum Vas Paracleti Spiritus ſancti*, Ipſa continet non ſolùm aromata devotionis, ſed & vnguenta conſolationis ad medendum omnibus malis noſtris: continet & aquam ſanctificationis & emundationis, liquorem quoque viuificationis pro animabus emortuis.

Si S. Paulus ore ipſius Sapientiæ & Veritatis dictus eſt *Vas electionis*, quia ex millenis hominibus electus erat, vt gloriam Dei & Chriſti propagaret, & lucem ac vitam, cibum electum & medicinam, Cœlique vinum omnibus nationibus propinaret, ideoque tanta gratia repletus fuit: Quantò magis Maria *Vas electionis* dicenda, & Vas Spiritus ſancti Paracleti, quæ ipſum Deum capere debebat, & ad hoc longè ſublimius Paulo eligi inter omnes, & ſapientia ac gratia ampliori repleri, quam refunderet in ipſos Apoſtolos, & omnes Electos

*Hæc eſt Glorioſa Ciuitas Dei.*

1. Nihil glorioſius Ciuitate Ieruſalem, propter Templum & Sacerdotium, ita vt dicta fuerit *Ciuitas Regia & Sacerdotalis:* eamque ob titulum ab exteris Regibus fuit honorata, & muneribus condecorata.

2. Nihil antiquis glorioſius Ciuitate Roma, ob geſta bellica & triumphos de hoſtibus; quia totum ſibi ferè ſubdidit Orbem.

3. Nihil glorioſius ob ſapientiam Ciuitate Athenienſi, propter Gymnaſia, & Academias, ſiue Congregationes Virorum in omni genere doctrinæ periti ſſimorum, vbique celeberrima.

4. Nihil glorioſius Ciuitate Niniue, ob amplitudinem murorum, quæ dicitur in ſacro Codice, *Ciuitas magna itinere trium dierum* Quod quidem *Ionæ 3.* non ſolùm in circuitu intellige; ſed etiam quod ad eam pervadendam in directo, triduano opus fuerit itinere.

5. Sed his omnibus Ciuitatibus prætermiſſis, quarum gloria intercidit, de Virgine noſtra decantamus: *Hæc eſt Glorioſa Ciuitas Dei.* Vtique gloria *B.M.V. Ciuitatũ glorioſarum glorioſiſſima.* ſuper omnes Ciuitates ſublimior; & numquam intermoritura gloria ſuperlaudabilis, quia hoc titulo ſpecialiſſimè digna Ciuitas Dei, quam ſuo Deus inſigniuit Nomine, & diuino ſuo decorauit Stemmate, in qua inhabitauit, & admirabilia totis ſæculis effecit.

Hæc eſt glorioſior Ciuitate Hieruſalem, quandoquidem in ea Deus Templum ſibi elegit, non auro & gemmis, ſed Diuinitate ſua perornatum, & tota æternitate permanſurum.

Hæc eſt glorioſior Ciuitate Romana, triumphiſque illuſtrior antiqua Roma: ad cuius pedes omnes Principes & Reges ſua detulêre ſceptra, ſub quibus & jacet Infernus, immò Sol & Luna.

Hæc

Hæc eſt glorioſior (ob ſapientiam) Græcorum & Athenienſium Academiâ: quia ipſius Sapientiæ & Mater & Domus effecta, per quam ad nos deriuatur omnis eruditio & ſalutis ſcientia.

Hæc eſt glorioſior (ob amplitudinem) Civitate Niniue; quæ omnis nationis homines recipit, protegit, & ſuis circumdat muris. De qua etiam ſcriptum eſt: *Glorioſa dicta ſunt de te Ciuitas Dei: Ecce Alienigena, & Tyrus & populus Æthiopum hi fuerunt illis, &c.* *Pſal. 86.*

Hæc eſt *Ciuitas refugij* glorioſiſſima & ſecuriſſima. Longè ſecurior eſt, quam antiquus Aſylum Romæ à primis ſuis Conditoribus inſtitutum. De quo memoratu dignum eſt, nec à propoſito noſtro alienum, quod à Plutarcho & alijs refertur Hiſtoricis. Romulus, primus Vrbis Conditor, qui & ei nomen dedit, vt eam amplam faceret non ſolum murorum, ſed & habitantium multitudine, Aſylum eam fecit; ita vt qui huc confugiſſet, ſi erat ſeruus, iam liber fieret à Dominis; ſi debitor, eximeretur à creditoribus, ſi criminoſus aut homicida, immunis fieret à pœna & Magiſtratibus. Sic factum eſt, vt multi è diverſis nationibus illuc confluerent, & ius Ciuitatis nanciſcerentur, qui ob aliquod infortunium, vel ſeruitutis pondus, vel æs alienum, vel ob pœnæ timorem in proprio ſuo non erant ſecuti. Hinc Roma facta eſt *Ciuitas refugij* in exordijs fundationis ſuæ. Vt tamen his è diverſa natione congregatis foret communis Patria: ordinatum eſt, vt quiſque ciuium ex natiua terra aſportaret pugillum terræ, & intra muros Vrbis projiceret, ſicque quilibet pro natiua & propria terra Romam agnoſceret. Inde ergò Roma iam hoc titulo gloriata eſt, *Communis Patria & Ciuitas.*

*B. M. V. Ciuitas refugij.*

Hæc ſi Virgini Mariæ, quæ glorioſa Ciuitas Dei dicitur, ſublimiori ſenſu accommodare voluerimus, meritò eam & Aſylum & Ciuitatem refugij appellauerimus: ad quam confugientes ſerui, Dæmonis poteſtati & dominio addicti, libertatem adipiſcuntur; & peccatorum graui ære oppreſſi abſoluuntur à debito; & criminoſi omnes veniam conſequuntur & gratiam; hicque protectionem omnem inveniunt, tamquam in Civitate, quæ omnes recipit piè accedentes, & eos in libertatem aſſerit. Hæc eſt *Communis Patria & Terra noſtra:* quia pugillum pulueris noſtri participat. De Adamo & luto vniuerſæ nationis compoſita eſt, fragilitatem terræ noſtræ agnoſcit, & de ea partem habuit in ſua prima conditione: ideoque nos recipit lubenter, fouet, protegit, & ad ſublimiora animat; ad glorioſa accendit. *Sicut lætantium omnium habitatio eſt in ea.* *Pſal. 86.* Hæc ergò eſt glorioſa Ciuitas Dei, & Filiorum eius, quos a tenebris in lucem, à ſeruitute in libertatem, à criminibus transfert in partem fortis Sanctorum.

*Hæc eſt Mulier virtutis, &c.*

*Prou. vlt.* Deipara Maria *Mulier virtutis* dicitur, quia eſt Mulier illa fortis, cuius pretium eſt ſuper omne pretium: Mulier ſtrenua & heroica, bellicoſa & militaris, hoſtibus terribilis, magis quàm Pallas armata, magis quàm Pentheſilæa Dux Amazonum, de qua Poëta Æneid. 1.

*Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis*
*Pentheſilæa furens*

*Mulierum bellicoſarum & virtutum B. M. V. excellentiſſima.*

Hæ Mulieres bellicoſæ Scutum gerebant breue, quod erat inſtar mediæ lunæ, & *Pelta* dicebatur. *Amazones* autem dictæ ſunt, à græca dictione, quæ idem ſignificat quod *ſine mammis.* Mos enim fuit Amazonibus, puellulis ſuis infantibus, maribus interfectis, inurere mammas dextras, ne impedimento eſſent ad pugnam conferendam, & ne ſagittarum iactus impediretur. At Mulier hæc virtutis exercitum ductat, tam virorum, quàm mulierum. Et mammis quidem ſuis pugnat, & aciem ſuam protegit, quia *Vbera eius facta ſunt quaſi Turris.* *Cant. 8.* Habet tamen & ſub ſe fæminas ſine mammis pugnantes & triumphantes, quia eis vel abſciſſæ ſunt, vel adustæ. Tales fuêre S. Agatha, S. Barbara, S. Eulalia, S. Fides, Filia S. Sophiæ, & multæ aliæ. Denique ſine mammis etiam illæ cenſentur, Amazonesque dicendæ ſunt, quæ per Virginitatem illas caſtrarunt, quarum infinitus eſt numerus.

*B. M. V. mulier virtutis magis, quã Eua.*

Hæc eſt *Mulier virtutis*, magis quàm Eua, quæ Virago dicta eſt, hoc eſt maſcula & virilis, & tamen ſolis verbis blandis à ſerpente icta, mox manus dedit victa. Quomodo cecidiſti ad primum tentationis impulſum, ô Mulier, cui à Viro nomen roboris & virtutis inditum fuerat, dum *Iſſa ſiue Virago* diceris, & ex coſta hominis tota oſſea & robuſta formaris? Meminiſſe debueras tui nominis, tuæ formationis, vt ad primum tentationis ſenſum non dares ſic conſenſum. Sed Coſta quidem eras, at Coſta ædificata in mulierem, ideoque fundamentum tuum erat caro; ſic debilis & infirma facta es, quaſi Mulier, quaſi mollis aër. At noſtra altera Eva *Mulier virtutis* eſt, tota robuſta, tota cœleſtis, virtute diuina firmata, vt non titubet, nec in ea caro prævaleat: nec hoſtis inuidia & fortitudo. Ad hoc tibi ſubſtituta eſt, vt conterat caput ſerpentis tartarei, qui te ſupplantauit. Ideò ad eam Gabriel mittitur, *Fortitudo Dei.*

*Iahel Iudic. 4.*

Hæc eſt Mulier virtutis pluſquam Jahel, quę caput Siſaræ, Ducis exercitus hoſtilis, clauo in tempora adacto transforauit, & eius acies mallei & claui acie confuſioni dedit.

Hæc eſt *Mulier Virtutis* pluſquam fæmina illa altera, quæ fragmen molæ è turri in caput Abimelech intorquens, illud contriuit; ita vt ad armigerum ſuum cum confuſione inclamare cogeretur: *Evagina gladium, & interfice me, ne dicatur quod à muliere interfectus ſim.* *Iudic 9.*

Hæc eſt *Mulier Virtutis* pluſquam Judith, quæ caput Holofernis intrepidè obtruncauit, & in muris Bethuliæ ſuſpendit, exercitumque totum in fugam pudibundam vertit; ita vt dicerent fugitantes: *Mulier vna confuſionem fecit in domo Nabuchodonozoris Regis.* *Judith. 14*

*Eſther.* Hæc eſt *Mulier Virtutis* pluſquam Eſther, quæ

Aman hoſtem populi ſui profligauit, & erigi voluit in ſublime patibulum, vt fieret coruis pabulum.

*B.M.V. mulier conterens caput ſerpentis antiqui.*

His omnibus fortior eſt Maria, quia contriuit caput ſerpentis, veterrimi & deterrimi hoſtis humani generis, per partum ſuum, & per protectionem, quam dat contra eius venena. Adhuc hodiè conterit eius caput, quod & omnibus ſæculis fecit, dum Duces excitat exercitus Chriſtiani, qui pugnent contra hæreſes, errores & peccata, ac corruptos venenatoſque mores. Sic ipſa excitauit & animauit S. Athanaſium, vt contereret caput ſerpentis ſibilantis per Arium. Excitauit S. Cyrillum, vt contereret caput ſerpẽtis venena ſpargentis per Neſtorium. Suſcitauit & animauit S. Auguſtinum, vt contereret caput ſerpentis decipientis inſipientes per Donatum & Pelagium. Suſcitauit & armauit S. Dominicum contra Albigenſes, viroſa dogmata è capite ſerpentis depromentes. Suſcitauit S. Ignatium, S. Carolum Borromæum, & alios, contra Lutherum & Caluinum, eorumque ſectatores, Serpentis ſemen, & Viperarum germen. Hi omnes capiti Serpentis antiqui adhærentes ſunt; immò eius *Os & Lingua* blaſphema cenſendi ſunt, qui per eos euomit illeuiem execrandam blaſphemiarum in Eccleſiam & Mariam. Sed non deeſt vnquam *Mulier Virtutis*, ſuis ſuppeditans virgam & arma, quibus conteratur eorum caput, & *obſtruatur omne os loquentium iniqua.*

*Prou. 31.*

Hæc eſt iterum *Mulier Virtutis*, de qua ſcriptum eſt: *Fortitudo & decor indumentum eius, Byſſus & Purpura.* Virginitatis byſſu candida & charitatis purpura rubicunda eam exornant, ei fortitudinem conferunt & decorem. Hæc eſt, quæ non ſolum *apprehenuit digitis fuſum*, vt lanam & linum nobis contexeret in veſtimentum; ſed etiam *Manum ſuam miſit ad fortia.* Ipſa texuit Filio Dei veſtimentum humanitatis ſuæ ex lana & lino, ex purpura & byſſo: nobis autem domeſticis ſuis etiam de eius lana & lino dat partem, hoc eſt, de eius meritis; quia nuditas noſtra & frigus protegitur velut agnino vellere & candida lineaque puritate, in meritorum eius participatione. Hinc & de hac muliere forti dicitur: *Omnes domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus,* ſiue benè ſuffultis veſtibus & pretioſis; ideoque *non timent à frigoribus niuis.* Atque in Cœlo duplici gloria veſtientur cum ſpeciali ſigno, qui ei ſeruierint ſpeciali hîc deuotione. Sicut enim ſerui regij & Reginæ in Curia regia certis veſtibus & inſignibus deaurati procedunt, per quæ agnoſcantur ſerui Regis & Reginæ: ita in Curia cœleſti ſerui B. Virginis ſpeciales ſpeciali ornatu & gloria fulgebunt, quâ præ alijs diſcernantur, dum adimplebitur perfectè illud: *Omnes domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus.*

*B.M.V. Succincta lumbos*

Denique dicamus de illa ſcriptum eſſe: *Accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roborauit brachium ſuum.* Sampſon roborauit brachium ſuum, cum mandibula proſtrauit mille viros: ſed non accinxit fortitudine lumbos, quia deceptus eſt à Dalila, & carni victrices manus tradidit. Dauid Vir fortis roborauit brachium ſuum, cum funda profligauit Goliam ſuperbum: ſed non accinxit fortitudine lumbos ſuos, quia ſuperatus eſt pulchritudine mulieris. At hæc mulier, lumbos & renes ſuccincta, brachio ſuo inuincibili pugnat contra hoſtẽ communem, & eum conterit ac conculcat, licèt calcaneo inſidiantem ſuo & ſuorum. Dicebat olim Dominus Job: *Accinge ſicut vir lumbos tuos. Interrogabo te, & in…ica mihi. Et ſi habes brachium ſicut Deus; aut ſimili voce tonas.* Certè accincta eſt lumbos pluſquam Vir generoſiſſima noſtra Heroina & Mulier Virtutis; & brachiũ habet ſicut Deus. Nam ſi Deus fecit potentiam in brachio ſuo, per Mariam fecit: Et cui primò *Brachium Domini reuelatum eſt,* niſi Mariæ? Ipſa genuit illum, cui nomen eſt *Brachium Domini.* Ipſa quoque ſimili voce ac Deus tonat, quia *Terribilis eſt vt caſtrorum acies ordinata,* totumque terret interdum voce ſua. Caſtra eius, caſtra Dei ſunt, quę fugant Pharaonem: *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te.*

*contra hoſtem communem pugnat.*

*Iob. 40.*

*Cant. 6.*

*Cant. 1.*

*Hæc eſt Sole ſpecioſior, Luna pulchrior, Aurora rutilantior.*

Hoc explic…tum eſt à nobis ſuper *Aue Maris Stella,* Lect. 1. Nihil repetendum hîc igitur duximus. Vide ibi.

*Hanc peccatores deuotè adeamus,*
*Rea pectora tunda… us.*

Ad Chriſtum accedamus per Mariam, quia hæc eſt Mediatrix noſtra: ſed accedamus deuota mente, & cum cordis compunctione; ſiſtentes nos coram Deo tamquam reus læſæ Majeſtatis, flexis genibus, manibus junctis, oculis demiſſis cum confuſione. Ac in ſignum contriti cordis, pectus percutiamus. *Quid eſt tundere pectus,* inquit S. Auguſtinus ſerm. 8. de verb. Dom. *Niſi arguere quod latet in pectore, & euidenti pulſu occultum caſtigare peccatum?* Rea ergò pectora tundamus, flagellis nos dignos exiſtimantes, & plagis: ſicque ſignificemus nobis in deſiderio eſſe vt cor, quod peccauit, quod peccatorum fons eſt & origo, commoueatur, conteratur, affligatur; & ſi durum ſit, inſtar petræ à Moyſe percuſſæ, hac percuſſione molliatur, & aquam lacrymarum donet. Percutiamus quoque illud tamquam ſilicem, vt ſcintillæ ignis, hoc eſt, deſideria ardentia melioris vitæ ab illo eliciantur. Percutiamus illud, vt illud excitemus ſoporatum, ad euigilandum, & ſuppliciorum æternitatem conſiderandam, miſericordiamque tempore oportuno implorandam.

*Quid ſit tundere pectus.*

*Sancta, Sancta, Sancta,*
*Maria clemens & pia, Domina noſtra.*

Sicut Angeli continuò inſonant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth;* & nos ad eorum imitationem idem quotidiè repetimus in terris: Sic etiam, teſte Pontifice Joanne 22 in Bulla (quam vocant Sabbatinam) in gratiam Ord. B. Mariæ de Carmelo edita, Angelici ſpiritus Beatiſſimæ Virgini Deiparæ continuò perſonant, *Sancta,*

*Sancta,*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*Sanctitas, & excellentia nominis Mariæ, ſumma eſt, poſt nomen Ieſus.*

*Sancta Sancta. Maria Angelorum & Hominum Regina!* Nempè poſt nomen Dei & Jeſu Chriſti ſanctum eſt nomen Mariæ, Angelisque & Hominibus eſt venerabile. Vnde quidam ex antiquis Patribus de illo ſic diſſerit: *Dedit tibi Maria Trinitas nomen. quod poſt nomen Filij tui eſt ſuper omne nomen, vt in nomine tuo omne genu flectatur, cœleſtium. terreſtrium, & infernorum Hoc nomen ſuper omnia nomina Sanctorum reficit laſſos, ſanat languidos, illuminat cæcos, penetrat duros, vngit agoniſtas, iugum Diaboli extrudit. Tantæ excellentiæ eſt, vt ad eius invocationem, Cœlum & Terra lætetur, Angeli congaudeant, Dæmones tremant, infernus conturbetur* Meritò igitur ei cum Angelis decantamus, *Sancta, Sancta, Sancta*, ſonoro Triſagio.

1\. 1. *Sancta*, prædeſtinata à Patre: *Sancta*, electa à Filio: *Sancta*, à Spiritu ſancto ſanctificata.

2\. 2. *Sancta*, quia ſine peccato originali; *Sancta*, quia ſine labe mortali: *Sancta*, quia ſine macula veniali.

3\. 3. *Sancta*, in Conceptione & Nativitate: *Sancta*, decurſu totius vitæ: *Sancta*, in morte, & tota æternitate.

4\. 4. *Sancta*, quia Vas electionis puriſſimum: *Sancta*, quia Ciuitas Dei & Templum: *Sancta*, quia Mulier virtutis, conterens caput ſerpentis.

5\. 5. *Sancta*, quia in cœlo honorata ab Angelis: *Sancta*, quia in terris exaltata ab hominibus: *Sancta*, quia in Purgatorio invocata ab animabus iuſtis.

6\. 6. *Sancta*, quia infimam Angelorum Hierarchiam ſuperans puritate & ſanctitate: *Sancta*, quia ſecundam ſuperans gratia & virtute: *Sancta*, quia ſupremam ſuperans charitate & ardore.

7\. 7. *Sancta*, ſuper omnes Patriarchas: *Sancta*, ſuper omnes Prophetas: *Sancta*, ſuper omnes Juſtos antiquos.

8\. 8. *Sancta*, ſuper omnes Apoſtolos & Martyres: *Sancta*, ſuper omnes Confeſſores & Sacerdotes: *Sancta*, ſuper omnes Fœminas & Virgines.

9\. 9. *Sancta* in doctrinis: *Sancta* in exemplis: *Sancta* in miraculis.

10\. 10. *Sancta* ante partum: *Sancta* in partu: *Sancta* poſt partum: quia intacta ſemper & inviolata mente & carne.

11\. 11. Si dicebat populus & ſacerdotes ac ſenio-
*Iudith.8.* res Iudith: *Ora pro nobis, quia Mulier ſancta es*; quantò maiori ratione id dicere nos debemus Mulieri huic & Virgini, ac Dominæ noſtræ, quæ *Sancta*, eſt orans pro peccatoribus, vt erigantur: *Sancta*, orans pro pœnitentibus, vt veniam conſequantur; *Sancta*, orans pro juſtis, vt in gratia confirmentur.

12\. 12. Deniquè dicamus, quod *Sancta ſit & Ter ſancta*, quæ ſanctitate ſua, & interceſſione, ac meritis. Tria à nobis flagella primaria Dei poteſt amoliri. Quapropter ſubditur: *Maria Virgo clemens & pia nos à peſte & ſubitanea morte, & ab omni tribulatione ſanctis tuis precibus liberatos fac conſortes cœleſtis gloriæ.*

*B Virgo tria à nobis mala avertit.*

Conformiter dictis ſic èam ſalutat B. Ephrem. *Aue periclitantium auxiliatrix: aue peccatorum refugium atque diuerſorium: aue ſpes omnium proborum aduerſis caſibus afflictorum: aue virorum pariter & mulierum Regina & Patrona: aue noſtra Conſolatrix, quæ mœrores ſedaſti, & oppreſſorum moleſtias leniſti, cunctasq; oppreſſiones ſuſtuliſti; aue Portus tutiſſime in hac vita nauigantium: aue firma ſalus vniuerſorum Chriſtianorum ad te ſincerè & verè recurrentium; aue noſtra omnium protectio inſignis & gloria.* Hæc S. Ephrem. Quibus verbis & nos hic Elogia Virginis Deiparæ concludimus.

*Lib de Laudibus Virg.*

Nota *Poſſet hic tractari, quomodo B. Virgo ſpecialiter à peſte protegat, & exemplis id comprobari.* Sed de hoc alibi dixi, Opuſculo de SS. in peſte invocandis infrà.

---

## LECTIO II.

Thema. *Extollens vocem Mulier quædam de turba dixit illi: Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti.* Luc. 11.

*Declaratur hic Elogia Ventri Virginei, & conſequenter ipſius Deiparæ Mariæ. Luc. 11.*

QVa occaſione pia mulier hanc vocem benedictionis & beatificationis, Chriſtum, eiusque digniſſimam Matrem concernentem, non ſolum in medio plebis indoctæ, ſed & Procerum ac Seniorum Religionis & Sapientiæ opinione turgidorum ſublimiter protulerit, repetendum eſt ex Evangelio. Cum nempè Chriſtus ejeciſſet dæmonium mutum, & cæcum, & ſurdum, infremuerunt aduerſus eum Scribæ & Phariſæi, jactantes blaſphemam vocem: *In Principe Dæmoniorum eijcit dæmonium.* Torquebant invidos opera illa Chriſti magnifica. Tenebras conantur offendere tantæ luci, Lucem, tenebras; Bonum, malum vocitant. Inſtar Saulis improbi ſe gerunt. Ille Dauidem pſallentem cithara vt dæmonium eijceret, lancea conatus eſt perfodere. Quid porrò aliud eſt blaſphemia, quam vibrant in Chriſtum, ſuaui & efficaci verborum ſuorum harmonia dæmonium eijcientem, quam lancea venenata qua eum confodiant? De illis verum eſt illud: *Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentes venenum aſpidum ſub labijs eorum.* Et rurſus: *Dentes eorum arma & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus.*

*Iſa. 5.* *1-Reg. 18.* *Pſal. 136.* *Pſal. 56.*

Hanc interim Lanceam viroſam, & Gladium acutum blaſphemiæ, Clypeo Sapientiæ ſuæ excipit Dominus, & efficaciſſima ratione eius aciem confringit, eosque convincit. Sed & mox ſuſcitat ſpiritum mulieris piæ è media turba, quæ eos publicè publica laude confundat. Illi ergò, invidia diſtortos habentes oculos, nolebant agnoſcere doctrinam & ſapientiam, virtutem & miracula Chriſti: ſed adſcribebant dæmonio mente & voce impijſſima. At Mulier ſimplex, puris & lucidis omninò oculis hæc omnia in Chriſto contemplans, in jubilum cordis, & vocem laudis erumpit: & ipſum non dæmoniacum. ſed felicem & beatum proclamat, eiusque Matrem, quæ eum genuit & lactauit,

*Luc. 11.* ſimul beatam pronuntiat: ***Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti.*** Hæc inter ſpinas blaſphemiarum tamquam roſa excitat odorem Fidei, quo piæ afflantur animæ: nam etiam tunc hanc vocem gratis auribus exceperunt multi ex aſtantibus. Quomodo intelligendus eſt S. Aug. dum di- *Tract. 10. in Ioan.* cit ***Dum Dominus in turba admirabilis videretur faciens ſigna, quædam animæ dixerunt: Felix venter, qui te portauit.*** Hoc intellige, non quod plures id exclamarint, ſed quod voci Mulieris conſenſerint.

Olim volens Deus confundere ſenes inueteratos dierum malorum, qui Suſannam accuſabant *Dan. 13.* iniquiſſimè, & calumniabantur perditiſſimè, ***ſuſcitauit ſpiritum pueri iunioris***, qui detexit publicè calumniam, & iniquitatem ac malitiam in eorum caput retorſit. Nunc cum ipſa Sapientia & Pietas Chriſti, tamquam caſtiſſima Suſanna, calumnijs & blaſphemijs impeditur, excitatur ſpiritus mulieris piæ & ſimplicis, vt peruerſorum Iudicum temeri- *Pſ. 72.* tatem exaltata voce confundat *in portis Filiæ Sion.* Id enim peractum eſt in concurſu populi propè Orientalem portam Tyri, vbi adhuc locus oſtenditur, in quo hæc Beata fæmina exclamauit in laudem Chriſti, teſte Brochardo & Adrichomio. Et certè hæc vox meretur omnibus portis, ſiue Vrbium, ſiue Templorum, ſiue Ædium priuatarum inſcribi; quia per illam beatificatur illa, quam poſt hanc mulierem beatificat Eccleſia canens: ***Salue Porta, ex qua mundo lux eſt orta.*** Iſtam porrò fæminam fuiſſe B. Marcellam, S. Marthæ pediſſequam, (poſtea cum ea in exilium ejecta in naui ſine velo & remis quæ diuinitùs appulit Maſſiliam, vt ibi laudes Chriſti & Mariæ iterum promulgaret) ſimul torum eſt ſententia, inquit Nicolaus Lyranus. Portus ergò Maſſiliæ velut noua fuit Orientalis Porta, vbi myſterium hac voce Marcellæ comprehẽſum, concernens incarnationem Filij Dei de B. Virgine iam toti Galliæ & vicinis Prouincijs eluceſceret, & cordibus Fidelium inſcriberetur, ac deinde totum pervaderet Orbem.

Chriſtus igitur ſæpè per ſeipſum confudit Phariſæos hoſtes ſuos; nunc autem id peragit per pietatem & ſimplicitatem vnius mulieris: poſtmodum autem per puerorum vocem acclamantium: *Matt. 21.* ***O ſanna Filio Dauid, Benedictus qui venit in nomine Domini.***

Denique, dicit Phariſæis ad confuſionem de *Luc. 19.* pueris canentibus: ***Si hi tacuerint, lapides clamabunt.*** Nam & lapides petræque ſciſſæ, de facto teſtimonium dederunt in eius Paſſione, dum blaſphemabant homines, & tacebant qui teſtimonium poterant dare. An non & lapides clamant beatum eſſe vterum, qui Jeſum Chriſtum portauit, & vbera beata, quæ ſuxit in ſua infantia? Certè pauimentum & muri ædiculæ, quam in Nazareth Chriſtus inhabitauit infans, dum erat ſubditus Matri ſuæ & Nutritio, hoc nobis inclamant: dum toties ab Angelis tranſlati ſunt, & tanta in veneratione habiti, vt felices ſeſe autument, qui poſſunt lateres eius humili oſculo cum genuflexione attingere. Ideò totius Orbis peregrinatio ad Lauretum inſtituitur, vbi hæc ſacra ædicula, virgineumque conclaue ab Angelis tranſlatum honoratur, ab omnibus nationibus viſitur, & Regum muneribus decoratur. Profectò vox hæc mulieris huius Euangelicæ ibi continuò reſonare cenſenda eſt: ***Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti.***

Sed expendamus preſſiùs verba ſanctæ huius fœminæ, & eius feruorem ac ſpiritum examinemus. Dicit Euangeliſta non ſine myſterio, ***extollens vocem quædam mulier.*** *Mulier hæc Euãgelica S. Spiritus ſuggeſtione exclamauit.* Sacri Interpretes prius mentem extuliſſe quam vocem adfirmant; & non ex ſola ſimplicitate muliebri, ſed ex ſpiritus ſuggeſtione ac feruido impulſu exclamaſſe. Ideò non tam fœminæ ſimplicis, quàm Spiritus ſancti præconium vox iſta debet æſtimari, teſtimonium Chriſto & Mariæ perhibens, cuius conſcia eſſe debebat omnis poſteritas. Nam per omnes ſæculorum reuolutiones vox illa debebat reſonare; & quotannis, imò quot ferè Sabbathis, in Eccleſia reſonat vox iſta, dum in Miſſa Sabbathi iſtud Euangelium recitatur in honorem Deiparæ Virginis, & aliquoties adhuc in anno in feſtis ſpecialiter Virgini dicatis. Sed & Filij deuoti Eccleſiæ & Mariæ monentur quotidiè inter gratiarum actiones repetere: ***Beata viſcera Mariæ Virginis, quæ portauerunt æterni Patris Filium; & beata vbera quæ lactauerunt Chriſtum Dominum.*** Et numquid id ad imitationem Euangelicæ huius vocis? Adde, quod vox illa per totam perſonabit æternitatem in Beatorum lætitia & iubilo, ob incarnationem Filij Dei ex Maria Matre & Virgine.

Atque vt non dubites hanc à fide & pietate, ac à Spiritu ſancto excitatam, audi Venerab. Bedam: ***Magnæ deuotionis & fidei hæc mulier oſtenditur, quæ Scribis & Phariſæis Dominum tentantibus ſimul & blaſphemantibus, tanta eius incarnationem ſinceritate cognoſcit, tanta fiducia confitetur, vt & præſentium Procerum calumniam, & futurorum hæreticorum confundat perfidiam.*** Quid clarius? Re vera Eccleſia ſancta hanc vocem non repeteret toties in officio ſacro Miſſæ in laudem Virginis, ſi à Spiritu ſancto, atque ab inſigni fide ac deuotione non prodijſſet.

Ne mireris quòd mulier hanc vocem protulerit: potiſſimum enim erat mulierum, hanc laudare Matrem & Virginem, ac fructum eius. Hinc & Elizabetha primiceria eſt & præcentrix, poſt Angelum, *Exempla mulierũ B. M. V. & fructũ eius laudantium.* Encomiorum Virginis. Et certè nulla fuit ætas, in qua Spiritus ſanctus non res præclaras fecerit, & mira protulerit etiam per mulieres. Rectè Origenes: ***Præſtat non minimam conſolationem mulierum ſexui, ne pro infirmitate ſexus deſperent etiam Prophetiæ gratiæ capaces ſe fieri poſſe, ſed intelligant quod*** *In cap. 4. Iudicum.* ***mereatur hanc gratiam puritas mentis, nõ diuerſitas ſexus & corporis.*** Præclarè quoq; S. Bonauentura interrogatus a B. Ægidio, Franciſci ſocio: Num ſimplices & illiterati æquè poſſent laudare Deum ac

Theolo-

Theologi periti? Reſpondit. *Etiam mulierem pauperculam, idiotam, & ſimpliciſſimam, æquè ac magis poſſe diligere Deum, & conſequenter eum laudare & benedicere, ac ſummum Theologiæ Doctorem.* Ad hęc in ſpiritu exhilaratus B. Ægidius, cum feruore cœpit exclamare: *O ſimplices & paupercula mulieres, Deum diligite toto corde, & æquè magnæ poteritis eſſe ac Frater Bonaventura; æquè doctæ.* In hæc verò verba erumpens, tribus horis in raptu & extaſi permanſit.

Non abſimiles ſunt huic Evangelicæ Mulieri, fœminæ & Viragines illæ Religioſæ, quæ gloriam Virginis & Filij eius vbique & verbo & opere conantur promouere. Inter has noſtro ſæculo meritò enumeramus Thereſam, Decus Carmeli, quæ hoc in votis habuit, vt Chriſti Matriſque eius gloriam quaquaverſum amplificaret; quaſi in medio turbarum, hoc eſt, mundanorum hominum, imò & hæreticorum, Eccleſiam turbantium, & Chriſtum blaſphemantium, inclamans: *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti.* Ordinem enim ſuum ideò in tanta auſteritate cœlitus inſpirata reſtituit; vt eos qui contra hæreſes Lutheri & Caluini, Chriſti & Mariæ gloriam promouebant, oratione & pœnitentia alumnorum totius Ordinis adjuuaret, vt ipſa fatetur in vita ſua.

Quid porrò eſt, quod non venerantur hæretici Virginem? Imò cur eius obſiſtunt venerationi, cùm ex Evangelico teſtimonio adeò luculenter conſtet, venerandam, quam Angelus pronuntiat gratia plenam, quam Elizabetha aſſerit inter omnes mulieres benedictam, cuius vterum & vbera laudat hæc mulier ab omnibus ſæculis collaudata?

*Matt. 16.* Sicut S. Petro confitenti Chriſtum Filium Dei viui, dicit Chriſtus, *Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui in Cœlis eſt.* Ita & huic mulieri dicere poſſumus, quòd beata ſit, quæ Maternitatem Virginis felicem agnouit, & proclamauit contra omnes hoſtes Virginis, Nam non aliud eſt dicere: *Beatus venter qui te portauit*, quàm Chriſtum laudare, ſimulque Deiparam & Chriſtiparam. Propter Filium Matrem laudat, & à Filio omni laude digno, laudem & felicitatem Matris deriuari inſinuat. Quaſi diceret: O beatam Matrem quæ te geſtauit, quæque vberibus aluit? Vtique ſi beatos Apoſtolorum oculos Dominus pronunciat, quod eum cernerent, *Luc. 10.* beatasque aures, quod eum audirent. Quantò beatior Deiparæ vterus, Chriſtum concipiens & geſtans? Quantò beatiora vbera de cœlo lacte plena, vt eum alerent? Certè beata quoque meritò dixerimus brachia eum toties tantaque charitate amplexantia: beata labia, labijs in quibus gratia erat diffuſa tam ſæpè coniuncta: beatus ſinus, infantem portans Fontem beatitudinis: beati oculi radiantiſſimi ex contemplatione pueri: beata omnia membra parui noſtri Emmanuëlis, ſiue eius qui *Vobiſcum Deus* appellatus eſt, obſequio ex integro conſecrata. Fons itaque & origo beatitatis & felicitatis Mariæ eſt, quod in Matrem Dei electa ſit: Et qui Matrem Dei nominat, omnia eius dona, omnia bona, omnem felicitatem recapitulare cenſetur.

Interim SS. Patres multas conferunt rationes, cur ſpecialiter eius venter beatus hic pronuncietur. Nempè cùm vterus ille ſit locus, in quo ſanctiſſimam carnem ſuam Verbum aſſumpſit, meritò omnigena benedictione dignus acclamatur. *Cur venter B. M. V. hic ſpecialiter beatus dicatur.*

1. Hic eſt Thalamus benedicti animarum noſtrarum Sponſi, de quo ſcriptum eſt: *Ipſe tamquam Sponſus procedens de thalamo ſuo, exultauit vt gigas ad currendam viam.* Ideò meritò hunc vterum benedicimus, & beatum pronunciamus. *Pſ. 18.*

2. Hic eſt *Hortus ſemper concluſus*, Hortus voluptatis, Paradiſus fœcundiſſimus & amœniſſimus, producens fructum ſuauiſſimum & odoratiſſimum, quo reficiuntur homines & Angeli. Ergò meritò eum benedicimus, & beatum pronunciamus.

3. Hic eſt *Fons ſignatus* Diuinitatis ſigillo, ex quo aqua ſaliens in vitam æternam omnibus ſitientibus exoritur; & aqua purificans maculas omnium peccatorum depromitur. Ergò meritò eum benedicimus, & beatum pronunciamus.

4. Hic eſt *Templum Salomonis*, Regis noſtri Pacifici, Virginitatis illibatæ auro coruſcans, *Domus aurea, & Fœderis arca*, Vrnaque ſacratiſſima, in qua Manna diuinitatis conſeruata fuit, & in cibum ſuauiſſimum nobis prodijt. Ergò meritò eum benedicimus, & beatum pronunciamus.

5. Hic agnoſcitur *Vellus Gedeonis*, Cœli rore perfuſum, *Porta aurea Ezechielis, Rubus Moyſis, Thronus, Ferculum* ex lignis incorruptis, *Reclinatorium aureum* Æterni Regis. Ergò meritò eum benedicimus, & beatum pronunciamus.

6. Denique, hic Vterus cœlum eſt, in quo ſe celat ipſe Deus. Imò cœlis amplior cenſendus, quia quem cœli non capiunt, comprehendit. Ideò meritò eum benedicimus, & beatum pronunciamus. Nam ob has omnes rationes eum beatificant SS. Patres. Audi pro multis vnum Bernardum. *Nec in terris locus dignior vteri virginalis templo, in quo Filium Dei Maria ſuſcepit: nec in cœlis Regali ſolio, in quo Mariam Mariæ Filius ſublimauit* Et rurſus vocat Vterum Mariæ, *Medium terræ* emphaticè: Sic enim ait: *Operabitur Chriſtus ſalutem noſtram in medio terræ, in Vtero Virginis Mariæ, qui mirabili proprietate Terræ Medium appellatur. Ad illam enim ſicut ad medium, ſicut ad Arcam Dei, ſicut ad rerum cauſam, ſicut ad Negotium ſæculorum reſpiciunt, & qui in Cœlo habitant, & qui in inferno, & qui nos præceſſerunt, & nos qui ſumus, & qui ſequentur, & nati natorum, & qui naſcentur ab illis. Illi qui ſunt in Cœlo, vt reſarciantur; qui in inferno, id eſt, purgatorio, vt eripiantur; qui præceſſerunt, vt Prophetæ fideles inveniantur; qui ſequentur, vt glorificentur.* Hæc S. Bern. O ergò Vterum benedicendum, & iure beatum proclamandum ab omni generatione, ad imitationem Mulieris huius Evangelicæ!

*Serm. 1. de Aſſumpt. 10.*

*Serm. de Pentec.*

Ioan. 1.

Certè qui hunc Vterum benedicunt, & Virginis Matris laudes decantant pio corde, Spiritus ſancti ſpeciali afflatu id faciunt, & benedictionem pro benedictione reportant, *Gratiā pro gratia.* Eia ergo animæ religioſæ, animæ pietati addictæ, pergite laudes vteri virginei de die in diem annunciare. Quicumque lucidis oculis eum intuentur, & myſteria in eo peracta contemplantur, non poſſunt non in hanc Deiparam animum & laudem profundere, quia de ipſa maximè verum eſt: *Viderunt eam Filiæ Sion, & Beatiſſimam prædicauerunt.* Et hoc ipſum electionis eſt ſignum, lubenter Virginis & Matris huius Encomia celebrare, & ſe ſe eius obſequio addicere.

Cant. 6.

E contrà nonniſi inferni caliginoſo igne circūdari cenſentur, qui eius laudes & gloriam obſcurare nituntur, & neſcio qua fuligine obtegere, quod faciunt hæretici. Tulerunt pallium laudis, quo condecoratur Maria Virgo, aut ſaltem tollere conantur: ſed ideo maledictionem incurrunt, quia de ipſa verum eſt, quod de eius Filio: *Qui tibi benedixerit, ſit benedictus: qui maledixerit, ſit maledictus:* Hoc ab Iſaac dictum eſt, dum benediceret Iacob filium ſuum. hæc autem eſt primaria Iacob Filia Mariæ, quæ eius typum, Chriſtum benedictum, vtero ſuo portavit.

Gen. 27.

Nunc examinanda reſtat Chriſti reſponſio: *Quin immò beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* Accepit nimirū Chriſtus occaſionem, ex verbis huius Mulieris Deiparam prædicantis, oſtendendi in quo ſita ſit beatitudo non ſolum Virginis Mariæ, ſed & generaliter omnium verè Fidelium. Beatos ergo Verbi divini auditores pronunciat, ſi etiam illius ſint cuſtodes. Non negat peculiarem Matris ſuæ beatitudinem: ſed quomodo ea poſſit alijs communicari, oſtendit. Quaſi dicat: Tu beatam proclamas Matrem meam, & meritò ſed hæc beatitudo illi ſoli convenit, vnius tantum eſt Adijcio & ego aliud, quo oſtendam tibi viam ad beatitudinem omnibus communem, & dico: *Beati qui audiunt Verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* Hæc nimirum eſt via primaria ad beatitudinem veram, mente & opere cuſtodire Verbum Dei auditum.

*Quæ primaria via ad verā beatitudinē*

Scire ergò hic convenit, quod ſicut beata fuit Maria ex eo quod Verbum ventre concipit, vberibus aluit: ſimiliter qui verbum corde concipit, & conceptum cuſtodit, fovet, & alit, atque ad opus perducit, beatus dicitur. Sed & hæc beatitudo potiſſimum Virgini convenit, non enim ſolum vtero Verbum concepit, aut vbere aluit ſed & mente percepit, corde fovit, aluit, fructumque vberrimū produxit. Audi hic Venerab. Bedam, *Pulchrè Salvator atteſtationi mulieris annuit; non eam ſolū quæ Verbum Dei corporaliter generare meruerat, ſed & omnes qui verbum idem ſpiritualiter auditu fidei cōcipere, & boni operis cuſtodia, vel in ſuo vel in proximorum corde parere ſtuduerint & alere, aſſeuerans eſſe beatos. Quia & eadem Dei Genitrix, & inde quidem beata, quia verbi incarnandi miniſtra facta eſt temporalis, ſed inde multò beatior, quod eiuſdem ſemper amādi cuſtos manebat æterna.* Hæc ille. Hoc verò Vener. Beda. ex S. Aug. vt ſolet didicit & deduxit, qui lib. de S. Virginitat. c. 2: aſſerit: *Beatior fuit Maria percipiendo fidē Chriſti quā concipiendo carnem Chriſti Materna propinquitas Mariæ nihil profuiſſet, niſi felicius Chriſtum corde, quam carne geſtaſſet* Hæc S. Auguſtinus, volens dicere quod ſola propinquitas ad Chriſtum, ſi eſſet ſine obſervantia verbi & præcepti divini, parum prodeſſet. Certè cum inter parentes Chriſti & ei propinquos reperti ſint aliqui peccatores, potuere etiam damnationi eſſe obnoxij, non obſtante parentela hac & propinquitate. An non hoc multi aſſerūt de Salamone.

Attamen de Maria rectè, ſimpliciter, & abſolutè aſſeritur quòd ſit beata, eò quod Chriſtum genuerit, ſiue ex eo quod Dei Mater ſit: hunc enim titulum conſequitur confirmatio in gratia, & perfecta Verbi Dei cuſtodia ac mandatorum eius obſervantia. Quia correſpondenter huic dignitati Maternæ dotis omnibus cæleſtibus fuit adornata, & tunc fundamentaliter & radicaliter cum certitudine potuit pronunciari beata, quando Filium talem concepit. Audiendus eſt hac de re S. Damaſcenus ſic eam alloquens. *Quamuis omnibus Dei ſervis, quorum mors beata dicitur, ab ipſo vitæ fine iſtud comparetur, vt Deo grata eorum vita iam in tuto ſit, eoque nomine mors eorum felix habeatur, quia facit vt nulla in eos mutatio cadat, iuxta illud ſcripturæ oraculum. Ante mortem neminem beatum dicas Minimè tamen hoc in te vſurpabimus, ò Virgo! Neque enim mors tibi beatitudinem attulit, aut migratio perfectionem: nec rurſus hoc tibi affert vitæ diſceſſus, vt iam periculi nihil extimeſcas. Omnium enim bonorum initium, medium, & finis, ſecuritas, item & vera confirmatio, in illa ſeminis experti conceptione, in illa divina inhabitatione, in illo denique à labe remoto partu ſita fuit.* Hæc Damaſcenus.

Orat. 1. de dormitiu. Virg.

Eccl. 11.

Vtique, non à morte, ſed ab ipſa conceptione. Virgo de ſe pronunciauit, *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Non ſolum à morte, ſed etiam mox à partu idipſum quod Mulier hæc dixit, pronunciari potuit: *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti.*

Luc. 1.

Itaque concludamus, & dicamus, quod illud. *Quinimò*, quod idem eſt ac *immo verò*, non eſt particula negantis; quaſi negaret Chriſtus Matrem ſuam eſſe beatam talem Filium concipiendo & generando: ſed eſt particula aliud inferentis, quod quis magis inculcatum optat. Hoc autem Chriſtus inculcatum optabat, felicitatem magnam reperiri, & certam quidem:, in Verbi cæleſtis auditione cuſtodia, & adimpletione; quod omnes concernebat.

*In adimpletione voluntatis Dei, quadam cognatio ſpiritualis conſiſtit.*

Et fortaſſe ne coram auditoribus, & adverſantibus ſibi Phariſæis, videretur deliniri laudibus, vel ſuis, vel ſuorum parentum, & in hoc humano nimis affectui indulgere, ſicut inter homines facile

ſit

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

ſit quod laudibus ſuorum nimium delectentur, & blanditijs adulantium irritentur: maluit beatitudinem Matris particularem transferre ad beatitudinem generaliter competentem omnibus audientibus, & perficientibus cœleſtia mandata.

*Matt. 12. & Mar. 3* Sic dum ei diceretur: *Ecce Mater tua, & fratres tui foris ſtant, quærentes te,* Reſpondit: *Quæ eſt Mater mea, & fratres mei?* Et extendens manum in diſcipulos, ſiue, vt habet Marcus, *circumſpiciens eos, qui in circuitu eius ſedebant,* ait: *Ecce Mater mea, & fratres mei; qui enim fecerit voluntatem Patris mei qui in Cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & Mater eſt.* Data hac occaſione, docet quàm ſit præclarum voluntatem Dei adimplere, atque in ea conſiſtere genus quoddam cognationis ſpiritualis, carnali cognatione præſtantius. Neque verò his verbis de Matris ſuæ dignitate quidquam detrahere cenſendus eſt: quandoquidem illa vtraque cognatione illi maximè fuit coniuncta cognatione carnis in ſummo gradu; cognatione ſpiritus ſimiliter, quia omnes in faciendo Patris voluntatem antecellit. Bis ergò Maria Mater eſt, Chriſti, tum carne, tum ſpiritu Explicat hoc Guarricus Abbas, S. Bernardi diſcipulus, *Mariam,* inquit, *quæ ſecundùm carnem* *Serm. 4. de Aſſumpt.* *Mater erat, alia quoque ratione Matrem ſibi Ieſus probat: quandoquidem ipſa voluntatem Patris in tantum faciebat, vt de ipſa prædiceret Pater* Iſa. 62. *Vocaberis, Voluntas mea. Igitur vbi eam Filius negligere videtur, ibi ampliùs honoraſſe invenitur, dum ei ſcilicet materni nominis honor duplicatur. Pro eo quod eumdem Filium, quem aluo geſtauerat incarnatum, etiam nunc animo geſtabat inſpiratum.* Sic ille.

O Beatiſſima Mater! Hìc in tempore, & poſtmodum in æternitate, Beatum vterum tuum optamus pronunciare, & vbera, quibus lactaſti Chriſtum Dominum noſtrum, Filium tuum. Vt autem id valeamus, & beatitudinis tuæ conſortes ſimus, impetra nobis à Filio, vt verbum eius audiamus pia mente, cuſtodiamus ſincero corde, ad effectum perducamus perſeuerante fidelitate & felicitate, vt ſic miſericordias Filij tui, & laudes tuas, æternùm valeamus decantare.

---

## LECTIO III.

### PRO FESTO S. MARIÆ AD NIVES, vel alio.

Thema *Non timebit domui ſuæ à frigoribus niuis; omnes domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus.* Prov. vlt.

*De laudibus B. M. V. ex vlt. Prou. cap.* Apud homines huius ſæculi magno honori ducitur adſcribi inter domeſticos alicuius Magnatis aut Principis, ſiue Heroinæ alicuius potentis & ſapientis. Suis enim domeſticis, ſiue his qui de familia cenſentur, providere ſolent abundè de his, quæ decentia ſunt ad ſtatum ſuum, ſiue quoad cibum & ſuſtentationem, ſiue quoad amictum & ornatum exteriorem. Conſiderat enim illud S. Chryſoſtomi: *Integra familia integri ad inſtar corporis cuiuſdam ſe habet, cuius caput vir & vxor, reliqui autem domeſtici alia membra componunt Ergò qui ſeruos ſuos detritis obſoletiſque veſtibus amictos eſſe ſinit, aut indecorè nudos, ſui corporis bonam partem dedecore afficit.*

Propterea Salomon, ſapientia & gratia præditus inter Reges, providebat ſollicitè non ſolùm ſibi, ſed & omnibus famulis ac miniſtris ſuis, ſiue domeſticis, de his quæ ad regium decorem ſpectarent. Quapropter refert Regum hiſtoria, quòd Regina Saba non ſolùm Regem admirata ſit, ſed etiam eius *3. Reg. 10.* domeſticos & familiares, *Habitacula ſeruorum, ordines miniſtrantium, veſteſque eorum, & cibos menſæ.* Et quidem ita admirata eſt, vt vltra non habens ſpiritum, hoc eſt, ſupra modum ſtupens, inter cætera laudum eius encomia, Regi dixerit: *Beati viri tui, & beati ſerui tui, qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam.*

Sed & ipſe Salomon non ſine myſterio Proverb. vltimo deſcribit Mulierem magnanimam & ſolertem, nobilem & induſtriam, quæ providè diſtribuit cibaria domeſticis & ancillis ſuis, non ſolùm de communi cibo & pane, ſed etiam de præda, ſiue *Prou. 31.* venatione: *Deditque prædam domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis.* Ac velut nauis mercatoria, ſiue inſtitoris de longè portans panem & alimenta varia (quæ ſub nomine Panis apud Hebræos deſignari ſolent) copiosè vult ſatisfacere omnibus de familia. Imò vt nec potus deſit pretioſior, comparato ſibi agro, *Plantauit vineam de fructu manuum ſuarum.* Denique, ne & corporibus veſtiendis ornatus & amictus deſit, procurat lanam & linum, byſſum & purpuram, periſtromata & ſtragulatam veſtem; omneſque domeſticos ſuos veſtit duplicibus, contra frigus, & niues, aliaſque iniurias aëris.

Quænam eſt iſta Mulier adeò magnanima & magnifica, adeò ſolers & induſtria? Quæ eſt iſta *B. M. V. provida Materfamilias.* Mater familias adeò erga ſuos benigna & provida? Dicimus meritò eſſe Mariam Deiparam, quæ inſtar fœcundæ Matris familias multas habet proles, multos domeſticos, multos famulos & ancillas; quibus de omnibus neceſſarijs, & de omnibus ad decorem ſpectantibus copiosè vult providere; ac obſequia eorum digna poſtmodum remuneratione compenſare. O quàm eſt honorificum eius adſcribi familiæ! O quàm beatum, eius ſeſe obſequio addicere! Qui verè de eius familia aut domeſticis cenſentur, multivarijs gratijs, omnigenaq; benedictione ac felicitate replentur. De hac Matre familias & eius progenie verum eſt illud: *Confortauit* *Pſ. 147.* *ſeras portarum tuarum, benedixit Filijs tuis in te. Poſuit fines tuos pacem, & adipe frumenti ſatiat te.* Confortatio Portarum, indicat ab hoſtibus ſecuritatem & protectionem pro domo & domeſticis his: Benedictio Filiorum, ſignat gratiarum varietatem per Matris huius piam & providam ſollicitudinem. Pax in finibus poſita, ſignificat internam & externam tranquillitatẽ Adeps frumẽti, delicias demon-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſtrat & veram in hac familia iucunditatem, tum in bonæ conſcientiæ ſuauitate, tum in myſteriorum diuinorum & menſæ myſticæ participatione conſiſtentem.

*B.M.V. Nauis Inſtitoris portans panem, &c.*

Quænam obſecro tamquam *Nauis Inſtitoris* adduxit nobis *Panem ſuum de longè,* niſi Maria? Hæc de cœlo nobis Panem advexit, & quidem *Panem ſuum,* de terra ſua Virginea exortum, & in domo Panis in Bethleem primò depoſitum, ac in myſtica Bethleem, hoc eſt, in Eccleſia Dei in finem vſque ſæculi proponendum. Quis plantauit nobis Vineam, & *Vinum germinans Virgines* nobis propinauit, & quotidiè adhuc ſuis propinat domeſticis, niſi Maria, quæ Chriſtum nobis dedit, qui de ſe dicit: *Ego ſum Vitis vera*; cuius Vitis Vuæque myſticæ ſanguinem de vtero Mariæ profuſum, in torculari crucis expreſſum, quotidiè bibere valemus? Hæc eſt ergò Mater ſapientiæ, quæ miſcet vinum, ponit menſam, vocat ſeruos & ancillas ad creatorem, vt bibant & comedant, vt benedictionem percipiant, vt pacem inveniant & confortationem, vt adipe frumenti ſatientur. Felices, qui eius vocem audiunt, & invitati veniunt, ac menſæ eius accumbunt, & tandem deſinunt eſſe paruuli & inſipientes, hoc eſt corde inopes, & intellectu deficientes, quibus dicitur. *Si quis eſt paruulus, veniat ad me, & inſipientibus locuta eſt: Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis.* Certè maximè delectatur Virgo beatiſſima, dum enim deſiderio & deuotione, cum humilitate & puritate, ad menſam iſtam accedunt, qui de eius familia ſunt, quia ibi illuminatur intellectus, & accenditur affectus, vt inſipientia & infantia deſeratur, hoc eſt, cordis inopia & ſtultitia, qua homines huius ſæculi, quaſi infantes & excordes, quæ noxia ſunt, quærunt, crepundijs oblectantur & inhærent rebus nihili. Vnde & eos monet: *Relinquite infantiam, & viuite, & ambulate per vias prudentiæ.*

*Zach. 9.* — *Ioan. 15.* — *Prov. 9.* — *Prov. 9.*

*B. Virgo domeſticos ſuos luſtrat.*

Porrò bona & ſedula Mater familias vult quidem abundè prouideri domeſticis ſuis de cibo & potu, non tamen vult otioſum eſſe domeſticorum vllum. Quare domum ſuam & domeſticos omnes circumluſtrat, vt inertiam omnem arceat, & quæcumque noxia eſſe poſſent, eliminet. Cauet ne de domeſticis ſuis illud verificetur, quod dicitur. *Cuſtodes tui quaſi locuſtæ.* Vbi per cuſtodes intelligi poſſent miniſtri Magnatum, & ſeruuli nobilium, latera eorum cingentes ad eorum cuſtodiam. Nam & alia lectio habet: *Cōptuli tui,* ſiue comatuli tui, *locuſtas referunt.* In quo verò referunt? In eo ſcilicet, quòd inſtar locuſtę fruges conſumere ſint nati, famam egeſtatemque afferre familiæ, ſi ſint numeroſi, & tamen otioſi, quod experientia ſatis docet. Oportet ergò eos operi, & labori, ſiue ſtudio alicui addicere, vt panem otioſi non comedant, ſed in rem familiarem aliquid opis conferant. Familia Abrahæ multos quidem habuit famulos, ſed omnes labori addictos & occupatiſſimos. Nam cùm tres Angeli adventaſſent, ipſemet currit ad armentum, vitulum arripit, miniſtrat. Non deerant famuli, ſed occupati erant. Si non copioſum gregem famulantium haberet, non de eo ſcriptum eſſet, quod expediuerit trecentos vernaculos contra Reges pugnaturos, ad eruendum fratrem ſuum Loth. Itaque de noſtra etiam ſedula & ſtrenua Muliere dicitur in laudem eius & domeſticorum: *Panem otioſa non comedit; & conſiderauit ſemitas domus ſuæ,* hoc eſt, actiones & mores domeſticorum ſuorum, qualiter occupentur, an torpeſcant otio, an ignauiæ vacent & crapulæ, an libidini & genio indulgeant, an diſſidijs inter ſe corrixentur, an denique omnia iuxta ordinationem ſuam peragant rectè & ſtrenuè, quia non vult eos, ſicut nec ſeipſam, panem otioſos comedere, ſed ad fortia manum mittere.

*Nahum 3* — *Suos non vult eſſe otioſos.* — *Gen. 18.* — *Gen. 14.* — *Prov. 31.*

An non hæc omnia veriſſima ſunt de Maria, nobiliſſima Matre familias. An non domum ſuam ſedulò circumluſtrat? An non domeſticorum ſuorum mores & actiones circumſpicit? An non quodammodò indolere cenſetur, quando hi, qui ſe familiæ eius adſcribunt, dum Sodalitijs eius dant nomen, ignauiæ ſeſe dedunt, voluptati, ebrietati, diſſolutioni? An non & hoc eam affligit, quòd inter ſe diſſidia foueant, detractionibus, probris, calumnijs ſeſe mutuò pungentes & lacerantes? An non ſuperbiam & inuidiam, os bilingue & omnem viam prauam ipſa deteſtatur in domeſticis ſuis? Immò non vult eos cum ſocordia panem comedere, ſed in bonis operibus gnauiter & continuò ſeſe exercere. Non vult vt accedant ex ſola conſuetudine ad panem Eucharſticum cum ignauia & torpore. *Panem otioſa non comedit anima, quæ ſacrificium Dominici Corporis percipiens, ſtudet imitari actu, quod in myſterio celebrat, multum ſollicita, ne indignè panem Domini comedendo & calicem bibendo, iudicium ſibi manducet & bibat; ſed vt patiendo pro Chriſto, ac lacrymas fundendo, paſſionum ipſius exempla quantum valet, ſequatur.* Ita Beda.

*Providet ſuis de veſtitu.* — *Prov. 31.*

Sed ſatis dictum de pane & cibo, quem provídet hæc Mater admirabilis Filijs & domeſticis ſuis; nunc veſtitus eorum & ornatus explicandus nobis eſt; quia in laudem eius dicitur: *Omnes domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus, non timebit Domui ſuæ à frigoribus niuis.* Quæ ſunt illæ duplices veſtes? Videtur ex anterioribus colligi, vbi dicitur, quod *quæſiuerit Lanam & Linum,* en duplex materia veſtimenti; quodque *Byſſus & Purpura* ſint indumentum eius, en rurſus duplex materia ad ornatum, vt nihil deſit veſtimento eius, & domeſticorum, ad fortitudinem & decorem. Multa autem hic myſticè ſignificari poſſunt.

*Lana & Linum, quid hic myſticè deſignent. Reſp. 1.*

Dicamus ergò primò, quòd Lana & Linum, duplex veſtis, merita ſunt ipſius Chriſti & Mariæ, quibus tegimur, & è quibus nobis indumentum corruptibilitatis efficitur. Nam Lana rectè deſignat Chriſti merita, qui nobis per Mariam effectus eſt Agnus, & vellere ſuæ innocentiæ voluit nos gaudere, & nuditatem noſtram tegi, quam Adam filijs ſuis per peccatum induxerat, qui ante pecca-

tum

tum erat *amictus lumine ſicut veſtimento.* Linum quoque Mariæ puritatem & innocentiam rectè deſignat, quâ vetuſta villoſaque Adami filiorumque eius pellis obtecta fuit, dum ipſa electa eſt, vt per eam tela admirabilis, contexeretur puriſſimæ & candidiſſimæ humanitatis Chriſti. Itaque concurrunt ad veſtimentum & tegumentum nuditatis noſtræ merita Chriſti & Mariæ Matris, tamquam Lana & Linum, Lana equidem fortiſſima & candidiſſima, Linum ſubtiliſſimum & pretioſiſſimum. *Pſal.103.*

*Reſp.2.* Dicamus ſecundò, Lanam & Linum ſignificare exteriorem & interiorem mortificationem, quibus vult veſtiri ſuos domeſticos Mater hæc familias Maria, vt interiùs & exteriùs ſint contecti. In ordine veſtimentorum interiora ſunt linea, lanea verò exteriora, vtrumque autem ſiue lana, ſiue linum, eget multâ operâ, vt ad ſuam albedinem pertingat, & in veſtem contexatur. Huc accedit Venerab. Beda, dicens: *Poteſt in lino, quod ex terra virens oritur, ſed longo ac multiplici exercitio amittit humorem natiuũ, atq; ad gratiam noui candoris pervenit, caſtigatio noſtra carnis intimari, cuius dum ingenitas vitiorum ſordes per continentiã excoquimus, digni efficimur qui Chriſtum induamus.* Lana quoq; qui ovinus eſt habitus, pietatem & ſimplicitatem carnis & animi mortificati recte deſignare dicitur.

*Reſp.3.* Dicamus tertiò, duplices veſtes poſſe ſignificare amorem Dei & amorem proximi, quibus veſtiri debet omnis Chriſtianus, & maximè illi qui Virgini Deiparæ ſeſe tamquam domeſticos vovent. Hos enim magno convenit ferri zelo honoris Dei, zeloque ſalutis proximi. Hic eſt duplex veſtitus, hæc eſt purpura & byſſus, hic coccus bis tinctus, quo anima mirè decoratur, & calefit, ac protegitur.

*Reſp 4.* Dicamus quartò cum Hugone Cardinale, duplicem veſtem eſſe veſtem hyemalem & æſtivàlem: *Veſtem hyemalem dico virtutes quibus protegimur contra pluviam & grandinem tentationum & perſecutionum; eiuſmodi ſunt patienia, manſuetudo, humilitas, & alia id genus. Æſtivalem dico virtutes quibus tempore pacis & tranquillitatis vacatur bonis operibus & contẽplationi, qualis eſt charitas, pietas, devotio, ſapientia.* Hæc Hugo.

*Reſp. 5.* Dicamus denique duplicem veſtem, quaſi byſſum & purpuram, eſſe fortitudinem in fide, & decorem in continentia ac caſtitate. Vnde & de hac muliere etiam ſcriptum eſt: *Fortitudo & decor indumentum eius.* Qui ei ſerviunt, hâc etiam veſte debent indui, vt habeant fiduciam fidelis conſcientiæ, & decorem bonæ famæ, inquit S. Bernardus; *Non ſit in conſcientia nutans infirmitas modicæ fidei, non ſit in fama næuus malæ ſpeciei, & veſtibus duplicibus*, inquit ipſe. *Lib. 3. ad Eugen.*

His porro omnibus quæ diximus poſſe intelligi per veſtem duplicem, per lanam & linum, per purpuram & byſſum, fovetur calor in anima, qui conſervat à frigore peccati, à tepore animi, à nive & grandine tentationum. Ideo de hac muliere dicitur: *Non timebit domui ſuæ à frigoribus nivis*, nec timebit domeſticis ſuis, quia nempe his veſtibus duplicibus protegentur,

*Nomen. Nivis, quandoque ſumitur in bonum.* Nota, quòd nomen Nivis ſacris in litteris quãdoque accipitur in bonum, quandoque in malum In bonum accipitur propter candorem, in malum propter frigidum humorem. Sic in bonum ſumitur apud Iſaiam, *Si fuerint peccata veſtra vt coccinum quaſi nix dealbabũtur. Etſi fuerint rubra ſicut vermiculus, quaſi lana alba erunt.* Hoc eſt. Si peccatis veſtris primam candidam innocentiæ ſtolam quaſi rubeis cruoris maculis contaminaveritis, pœnitentiam agite, & mox peccata quaſi nix & lana candeſcent, ſive eluentur & condonabuntur, ac pro tinctura iniquitatis primam gratiæ ſtolam candidam accipietis. Sic & de Chriſto Transfigurato dicitur ob ſplendorem & candorem. *Veſtimenta eius facta ſunt alba ſicut nix.* *Iſa. 1.* *Matt. 17.*

*Quandoque malũ* In malum autem accipitur ob frigus hoc in loco, dum dicitur: *Non timebit à frigoribus nivis*, Nẽpe ſicut aquæ nivis faciunt tecta perſtillantia, & domum diruunt, vel labefactant, ſic tentationes & peccata, etiam venialia, animam frigidam reddunt & perſtillare faciunt; tandemque perdunt, niſi remedium adhibeatur tempeſtivè. Itaque per nivem frigidam & humidam, penetrantem cum vento in interiora domus graviſſimo cum incommodo, intellige tentationes, & impulſus Dæmonis, qui teporem, ac deinde frigus, aquamque inundantem peccatorum, benè ædificata opera noſtra ſubmergentem inducere ſolent. Quinimò & ipſi peccatores frigidi. Nix quandoque vocari ſolent. Hinc illud Magdalenæ:

*Nix ego, Sol Chriſtus, radiorum ardore liqueſco,*
*An mirum ex oculis ſi fluit vnda meis.*

*Aquæ nivium frigus inferni denotant.* Vlterius aquæ nivium, à quibus non timet domeſticis ſuis hæc generoſa Mater-familias, deſignant pænas æternitatis & frigus æternum, quod patiũtur impij in tormentis, *qui tranſeunt ab aquis nivium ad calorem nimiũ*, vt loquitur Iob. Ibi enim verè frigus eſſe ab aquis, ſicut & calorem ab igne, plerique docent Theologi, ita vt verificetur in illis: *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarũ pars Calicis eorum.* Propterea etiam dictum eſſe multi cẽſent: *Ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Vnde fletus niſi ex fumo ignis? Vnde ſtridor dentium, niſi ex frigore aquarum: Audi Venerab. Bedam diſertis verbis ſic interpretantem hunc locum: *Poſſunt autẽ per frigora nivis tormenta æterna intelligi, quæ igne & frigore mixta eſſe legimus, dum dicitur, Ibi erit fletus & ſtridor dentium, Fletum quippe oculis ignis & fumus, ſtridorẽ vero dentibus ſolet frigus gignere. Vnde & B. Iob de pœnis reproborum loquens æternis, Ad calorem, inquit, nimium tranſibunt ab aquis niviũ. Sed ab his Eccleſia domui ſuæ non timebit, quia quicunq; pereunt, ad domum illius non pertinebant, nec veſte ipſius ſpirituali erant induti, tametſi myſterijs eius ad tempus videbantur inſtituti.* Hæc ipſe. *Iob. 24.* *Pſal. 148.* *Matt. 8.*

Quod autem V, Beda de Eccleſia dicit, hoc nos de Maria dicimus, quòd non timebat domui ſuæ, quia quicumque pereunt, ad domum eius non pertinent, nec eius veſte ſunt induti. Quapropter ſubditur, *Ridebit in die Nouiſſimo*; non ſolum ipſa, ſed & eius domeſtici. Omnes enim ſuos domeſticos hæc Mater adiuvat, protegit, illuſtrat, vt poſt triſtitiam pœnitentiæ pacificè, confidenter, hilariter tranſeant, dum alij timẽt & tremunt in die novisſimo, Os ſuum tunc *aperit ſapientiæ*; ad Filium ſuum qui æterna eſt Sapientia pro clientulis ſuis preces fundens. *Et lex clementiæ in lingua eius*; quia eius implorat clementiam & miſericordiam pro illis. Hoc certè varijs exemplis alibi demonſtravimus & paſſim occurrunt.

*Cultores B. M. V. hilariter ex hac vita trãſeunt.*

Quid igitur eſt ridere in die noviſſimo, niſi cum lætitia ſpiritum inter manus Chriſti & Mariæ reddere? Quam multis verò id contigit, vt exultarent hora in extrema, & canerent; Quænam fuere verba S. Hyduigis Duciſſæ Poloniæ poſtrema niſi hæc: *Maria Mater gratiæ, Mater Miſericordiæ tu nos ab hoſte protige, & horâ mortis ſuſcipe.* Ecce veſtita eius imaginem manibus geſtans ſepeliri voluit.

*Exemp.*

Sic & S. Maria Ogniaca Virgini Deiparæ deditiſſima (quæ & ei adfuit dum extremo Sacramento muniretur) in morte præ gaudio ſubridebat, & manibus plaudebat, ac ſuavi voce cantabat, *Alleluya*: non timebat à frigoribus niuis, ſed quaſi ad epulas invitata, circa horam nonam, qua Chriſtus in cruce ſpiritum Patri reddidit, cum voce *Alleluya*, ad Dominum migravit, nullo mortis dolore vultus Angelici hilaritatem amittens.

S. Mechtildis, etiam & ipſa Deiparæ domeſtica, viſa eſt in morte à Dæmonibus impugnari & ter flere, timens à frigoribus nivis. Aſt poſtmodum viſa eſt & tertiò ridere & exultare, ab Angelis defenſa, tandemque ſpiritum reddere triumphando.

Quicumque fuerunt hic de domeſticis Matris Mariæ veſtiri duplicibus, non timebunt à frigore illo de quo ſcriptum eſt: *Ante faciem frigoris eius quis ſuſtinebit?* Immo poſt hanc vitam veſte duplici, hoc eſt gloria ſingulari, non ſolùm eſſentiali, ſed & accidentali ſunt donandi. Sicut ſervi Regis & Reginæ, certis veſtibus & inſignibus deaurati procedunt, per quæ agnoſcuntur eſſe ſervi Regis & Reginæ, ac ſpeciali purpura veſtiti ambulant: ita in Curia cæleſti ſervi B. Virginis ſpeciali ornatu & gloriâ, quâ præ alijs diſcernuntur, quòd ſint ſervi Mariæ, fulgebunt, vt & ibi impleatur illud *Domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus.*

*Pſal. 147.*

*Prov. 31.*

## LECTIO TRIPARTITA.

### PRO CONFRATERNITATE Carmeli.

Thema. *Soror noſtra es, creſcas in mille millia, & poſſideat ſemen tuum portas inimicorum ſuorum.* Gen. 34.

PARS I.

*Quomodo B. M. V. ſit ſpecialiter ſoror Carmeli. Carmelita ſpecialiter fratres B. M. V. vocentur, & quare.*

ETiãſi Chriſtiani omnes generali ratione *Fratres Mariæ* vocari poſſint: attamen ſpecialiter hic Titulus à Maria datus eſt his qui Ordini, & Familiæ de Monte Carmelo inſcribuntur. Hos enim Fratres ſuos vocavit Maria, & ſignũ ſingulare ſuæ fraternitatis eis Scapulare dedit. Vnde hoc nomine ſingulariter gloriantur, *Fratres Mariæ*, ſive, *Fratres Virginis*: illumque titulum iam ab olim promeriti ſunt, ob ſpecialem amorem, & obſequiũ, ac cultum erga Virginem Deiparam; & ob defenſionem ſtudioſam & amoroſam honoris eius. Quapropter & à Pontificibus ſummis hic Titulus honorificus eis fuit cõfirmatus. Nam cum S. Cirylus (quem ſui Ordinis alumnum fuiſſe Carmelus aſſeverat) in Concilio Epheſino, auctoritate Cæleſtini Papæ congregato conviciſſet publicè Neſtorium Hæreſiarcham, Deiparæ Virginis hoſtẽ: iſte Titulus *Fratrum Mariæ* in Congregatione Carmeli lucem accepit ac gloriam, confirmationemque ampliorem, approbante Cæleſtino Pontifice, ac toto Orbe, vt teſtatur Abbas Trithemius lib. de laudibus Carmelitanæ familiæ.

Sic etiam eos intitulat Sixtus IV. & Gregorius XIII. ac Innocentius IV. Immò Vrbanus IV. largitur indulgentias trium annorum & totidem quadragenarium his qui Fratres de Congregatione Carmeli vocarint *Fratres B. Mariæ Virginis.*

Adde quod Papa Honorius III. propter factam ſibi apparitionem B. M. Virginis (minas & mortem intentantis his qui contra hunc Ordinem ſeſe erexerant, hunc titulum honorificum ei auferre conantes, quorum nonnulli ſubitâ morte vnâ nocte extincti fuere) coactus fuerit dictum titulum confirmare huic Congregationi, ſimul eam adornando varijs privilegijs & prærogativis. Extat adhuc Bulla Honorij III. in favorem Ordinis Carmelitani data anno 1216.

Denique teſtatur Ioannes XXII. Pontifex in ſua Bulla Sabbathina, ſibi genibus flexis oranti apparuiſſe B. Virginem, habitu candido Carmeli indutam (vt ſic ſe Carmelitarum Sororem exterius etiam exhiberet in veſte) ac ei præcepiſſe, vt confirmaret indulgentiam quam ipſa impetrata à Filio, ſcilicet ſequenti Sabbatho poſt Religioſorum, ſeu Confratrum ac Sororum obitum, animas illorum è Purgatorij pænis liberaturam. Vnde ibi addit: *Iſtam ergo ſanctam indulgentiam accepto robore in terris confirmo, ſicut propter merita Virginis Chriſtus conceſſit in cælis.* Data eſt hæc bulla in vrbe veteri die 15. Maij a. 1528, Quæ bulla poſtea approbare

bata eſt per Pium V. Gregorium XIII. Paulum V. ac per Vniverſitatem Salmanticenſem.

*3. Reg.18.*

Quòd ſi altius repetere velimus rationem huius Tituli Carmelitani, quo vocitati ſunt *Fratres Mariæ,* & ipſa Soror eorum, attendendum eſt quod tradit Ioannes XXXXIV. Patriarcha de Ieruſalem, l. de de ortu Monah. c.32. & ſeq Eliam ſcilicet per revelationem intellexiſſe nubeculam ſeptima vice apparentem, & de mari aſcendentem inſtar veſtigij hominis, moxque in pluviam ſe reſolventem, indicium fuiſſe Virginis, quæ de amaro mari huius mundi electa, in ſeptima ætate debebat parere Redemptorem & Meſſiam, qui pluvia cæleſti Orbem abundantiſſimè erat irrigaturus: atque exinde inſtituiſſe Congregationem dedicatam obſequio illius Virginis quæ Meſſiam erat paritura, idque 937. annis ante Chriſti Nativitatem. Hæc autẽ inſtitutio continuavit vſque ad tempus Chriſti. Et mox hi qui de iſta erant Congregatione amplectentes fidem ac Evangelium, & plenius agnoſcentes Virginis noſtræ dignitatem, Apoſtolis prædicantibus, in Monte Carmeli erexiſſe Oratorium in honorem huius Virginis, in quo hi qui filij Prophetarum dicebantur, laudes divinas decantarent; iu eodem nimirum loco, in quo Elias illam myſticam Nubem contemplatus fuerat. Atque exinde Fratres Mariæ nominari meruerunt. Certè hæc gratis dicta cenſeri poſſent, niſi graves, Hiſtorici huius rei fidem facerent, inter quos vltra B. Ioannem 44. Patriarcham Hieroſol. recenſetur Armacanus primas Hyberniæ ſer. de Concep. Ioſeph, Antiochus li. de perf. militia Trithemius de laud. Carm. c. 7. Navar. Tract. de Horis Canonicis, c, 21. & alij. Atque in officio à Pontificibus ſummis approbato idipſum legunt Carmelitæ. Et Congregatio Cardinalium id etiam approbavit in Lectionibus particularibus Carmelitarum Excalceatorum.

Addunt nonnulli, Carmelum nonniſi milliaribus tribus diſtantem fuiſſe à Nazareth; ideoque Virginem, imò ipſum Chriſtum, dum adhuc agerent in hac vita mortali, viſitaſſe Congregationem Carmeli. Emerentianam quoq; S. Annæ Matrem, dum viſitaret hos filios Prophetarum in Carmelo, accepiſſe revelationem ex ſua ſtirpe naſcituram Virginem Meſſiæ Matrem. Audi quæ de B. Virgine Mariæ tradit Thomas Waldenſis, Vir graviſſimus, & doctiſſimus Theologus. *Erat huius Ordinis Carmeli Soror, nomine Maria, quæ cùm de Nazareth in montana Carmeli conſcendere ſtatueret, pluries dixit Filio ſuo; Vadam, & narrabo nomen tuum Fratribus meis, Patris Eliæ filiis. Et quid putas Ordo Carmeli reſponderit? Vtique illud Sanctæ Elizabeth verbum: Vnde hoc mihi vt veniat Mater Domini mei ad me;* Hæc apud Waldenſem.

*De Sacramentis Tit. 9.*

Ex his ergo patet, quàm meritò Mariæ dicant, qui Ordini Carmeli ſunt adſcripti: *Soror noſtra es.* Nunc explicandum quid ſibi illud velit: *Creſce in mille millia.*

*Pars III. Quomodo B. M. V. creſcat in mille millia*

OLim fœcunditas in progenie magna felicitas exiſtimabatur. Quapropter dum Eliezer œconomus domus Abrahæ Rebeccam ad Iſaac Filium Domini ſui addicturus eſſet, vt ei nuberet, fratres valedicentes & imprecantes ſorori ſuæ proſpera, dixerunt: *Soror noſtra es, creſcas in mille millia & poſsideat ſemen tuum portas inimicorum ſuorum* Hanc fœcunditatem in progenie magnæ benedictionis & felicitatis loco promiſerat olim Deus Abrahæ. Quare, eduxit eum foras, & ait: *Suſpice cælum, & numera ſtellas, ſi potes; ſic erit & ſemen tuum. Item Benedicam tibi; & multiplicabo ſementuũ ſicut ſtellas cæli, & velut arenam quæ eſt in littore maris. poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorũ, & benedicẽtur in ſemine tuo omnes gẽtes terræ, quia obediſti voci meæ* Idem promittitur Iſaac Filio Abrahæ, & Iacob Filio Iſaac. Nam dicit Dominus Iſaac: *Benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuũ ſicut ſtellas cæli* Ad Iacob autem, cum ei myſticam Scalam oſtendiſſet ſic ait: *Ego ſum Dominus Deus Abraham Patris tui, & Deus Iſaac. Eritque ſemen tuum quaſi pulvis terræ, dilataberis ad Orientem & Occidentẽ & Septemtrionem & Meridiem.* Hic pulveris, ibi ſtellarum tantùm fit mentio: ad Abraham autem dum loquitur Dominus, vtrumque iungit. Quare autem modò dicit ſemen Abrahæ futurum vt ſtellas cæli, modò ſicut pulverem terræ: Rationem ex S. Auguſtino lib. 16. de civit. Dei, c 23. quidam Interpretes hanc referunt. Quòd per pulverem terræ indicetur poſteritas populi ſecundum carnem ex Patriarchis mundi, quorum multi carnales, terreni, aridi, & bonis operibus infœcundi futuri erant: Per ſtellas autem cæli indicantur Filij ſpirituales, & poſteritas promittitur, dilatanda per imitationem fidei Abrahæ, cæleſti felicitate ſublimis, & reſurrectionis lumine corruſcans Ita Rupertus, Rabanus, Lippomanus, & alij, ex Auguſtino, Hilario, Irenæo, l. 4. c. 16. & alijs Patribus. Itaque quæ Abrahæ & alijs Patriarchis, ſive vxoribus eorum, Rebeccæ & alijs promittitur fœcunditas & benedictio, in CHRISTO completur & Maria, ob ſpirituales Filios qui multiplicantur & creſcunt, vt cælum repleant inſtar ſtellarum, & fulgiant in perpetuas Æternitates.

*Gen. 24.*
*Gen 13.*
*Gen. 21.*
*Gen. 26.*
*Gen. 28.*
*Cur Deus dixerit Abrahæ ſemen futurum vt ſtellas cæli & pulverem Terræ.*

Quapropter quod Rebeccæ dicebant Fratres eius: *Soror noſtra es, creſcas in mille millia.* Hoc multò magis dicere poſſunt Mariæ illi quos Fratres ſuos dignatur ſpecialiter appellare. Ita ô Virgo & Mater fœcunda, ô Soror noſtra Maria, creſcas in mille millia. Creſcant Filij tui ſpirituales, creſcat vbique terrarum devotio erga te, amor, & veneratio, vt agnoſcaris vbique tamquam Mater fœcunda in ſobole ſancta, Mater generationis quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob, Mater pulchræ dilectionis, & agnitionis, & ſanctæ ſpei. Tu es Sara noſtra, noſtra es Rebecca, Rachel noſtra & Lia, quibus promiſſa eſt fœcunditas copioſa inſtar ſtellarum cæli. Creſcat & Spon-



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*Gen. 49.*

Sponſus tuus Virgineus, cui nomen eſt Ioſeph, ſive Accreſcens, vt ei dicere poſſimus quod olim pronuntiauit Iacob de altero ſuo Ioſeph: *Filius accreſcens Ioſeph. Filius accreſcens, & decorus aſpectu* Filius accreſcens, & fœcundus, & fructificans iuxta fontem, vt alia habet lectio. Hoc optant Fratres tui de Carmelo, hoc apprecantur totis animi votis & præcordijs, hoc procurant totis viribus, vt in mille millia, imò in omnes populos propagetur affectus ſpiritalis erga te, & Sponſum tuum Ioſephum; altaribus, imaginibus, Oratorijs, Sodalitijs, in vtriuſque honorem erectis, & votis conceptis.

*Devotio erga B. M V. à Carmelo & Carmelitis incipit creſcere.*

Certè devotio erga Virginem Deiparam, vt diximus, cæpit creſcere à Carmelo & Carmelitis: & exinde ſe mirum in modum propagavit; ita vt in mille millia excreverit progenies ſanctæ Mariæ. Quis enim enumeret quot millia ab inito produxerit hic Ordo Carmeli Fratrum & Filiorum Mariæ? Quis enumeret quot millia iam à tot ſæculis in finem vſque ſæculi ſit productura, quandoquidem tamdiu hic Ordo perſeveraturus ſit, quamdiu eius primus Fundator & Parens Elias? vt alibi diximus. Audi Trithemij Abbatis præconium ad hanc rem. Sic ipſe ait alludens ad Abrahæ viſionem de Filijs & ſemine fœcundo ex ſe oriundo:

*L. de Laudibus Carmelitanis.*

*Tot Sancti ſub Ordine Carmelitano fuerunt, vt penitus numerari nequeant: etenim ſi quis ſtellas cœli dinumeret, & ſanctos huius Ordinis numerare poterit.* Quòd ſi & de reformatione huius Ordinis ſacri noviſſima loqui licet, quot animas ad pietatem erga Chriſtum & Mariam ac Sponſum eius Ioſephum adduxit S. Tereſa, vt Filij Mariæ creſcerent in mille millia: Dicamus cum Propheta: *Leva in circuitu oculos tuos,* ô Maria, *& vide, quia omnes iſti congregati ſunt, & venerunt tibi. Filii tui de longè venient, & Filiæ tuæ de latere ſurgent.*

*Iſai. 60.*

*Quam multi Sancti & martyres ex ordine Carmelitarum B. M. V.*

Quid de Martyribus Ordinis huius dicemus? Hiſtoriographi graves tradunt ab anno 636. vſque ad annum 1290. occubuiſſe centum quadraginta millia, Humar Rege Arabiæ Syriam, Ciciliam, Africam, Hiſpaniam occupante. Ecce igitur Martyres magno numero, Confeſſores & Sacerdotes pij ſine numero, Virgines quoque copioſiſſimæ, & vtriuſque ſexus piæ animæ congregatæ ſunt, vt laudes Virginis decantent ſpeciali devotione, ita vt ei meritò dicamus: *Soror noſtra es, creſcas in mille millia.* Neque enim ſolùm crevit hæc pietas Virginea in Religioſis Ordinem Carmeli profeſſis, ſed & in illis qui ex diverſo ſtatu ſæcularium huic Ordini ſeſe adſcripſerunt ad participandam fraternitatem quæ illis ineſt cum Virgine, ipſamet eos ad id invitante per Scapulare Sacrum fraternitatis ſuæ Signum. Quod primariò quidem Religioſis Carmeli dedit, ſed & ab illis voluit communicari & diffundi per vniverſum orbem in omnes qui colere voluerint ſingulari pietate Deiparam Virginem, & habitum illum ſacratum geſtando, caſtitatem iuxta ſtatum ſuum colere, ac nonnullas pias precet in Virginis gratiam de die in diem recitare. Itaque Scapulare benedictum, Signum eſt Fraternitatis huius cum Virgine, Signum, inquam, fœcundum per quod creſcit in mille millia ab oriente vſque ad occidentem, pariens Filios quàm plurimos quaſi ſtellas in perpetuum fulgidas, cæleſti felicitate ſublimandas.

*Scapulare, ſignũ Fraternitatis B. M. V.*

*Scapulare ſignũ Virgineæ ſalutis & pietatis. Iſai. 66.*

Huic Scapulari, tamquam Signo ſalutis & Chriſtianæ ac Virgineæ pietatis in varias orbis partes per Religioſos Carmeli deportato, non inſulſè accommodaveris illud. *Ponam in eis ſignum, & mittam ex eis ad Gentes in mare, in Africam, & Lydiam tendentes ſagittam, in Italiam & Græciam, ad inſulas longè, ad eos qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam. Et annunciabunt gloriam meam gentibus, & adducent fratres veſtros de cunctis gentibus donum Domino, in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in carrucis, ad montem ſanctum meum Ieruſalem.* Quis neſcit in Vrbibus populoſis in feſtivitatibus Carmelitani Ordinis concurrere. Nobiles pleroſque, & Domicellas, ac Heroinas, ad Carmelitarum Eccleſias, in carrucis & quadrigis cum ſuo comitatu, vt privilegijs & indulgentijs eorum communicent, & ob id ipſum Sacrum Scapulare geſtare, ac ad Sacramenta accedere? Sic agnoſcunt ipſi Signum fraternitatis Mariæ Matris & Sororis ſuæ, & illud venerantur, atque per illud Mariæ placere contendunt, vt & Chriſto placeant, & illum quandoque peccatis offenſum placent. In his ergo creſcit honor Virginis & quidem creſcit, & creſcet in mille millia, agnoſceturque de illa verum eſſe. *Florebit quaſi lilium: Germinãs germinabit, & exultabit lætabunda & laudans: Gloria Libani data eſt ei, & decor Carmeli.* Iſa. 35.

*PARS III. Quomodo ſemen B. M. V. poſſideat portas hoſtium. Gen. 22.*

NOn ſolùm apprecantur Fratres Rebeccæ, vt creſcat in populum copioſum, ſive in mille millia: ſed etiam vt creſcat in populum liberum & victorioſum. Videntur intellexiſſe ex Eliezer ſervo Abrahæ, qui pro Iſaac Filio Abrahæ legatione fungebatur, promiſſionem Abrahæ factam, cum antea ei dixit Dominus: *Benedicã tibi & multiplicabo ſemen tuũ ſicut ſtellas cœli, & poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum tuorũ.* Ecce disertè iiſdem verbis imprecantur ſorori ſuæ nupturæ Filio Abrahæ. quod ipſi Deus promiſerat: ergò hanc promiſſionem cognoviſſe videntur, vel referente Eliezer, vel certè ex ſpiritu Prophetiæ, vt nonnulli Interpretes volunt. Quocumque modo factum fuerit, eis indicatum fuit ex ſorore ſua coniuncta cum Filio Abrahæ generandos populos, qui egregijs victorijs de Regibus & Vrbibus triumpharent, ac terram promiſſionis, terram Chanaã cũ propugnaculis ſuis ſibi ſubijcerent. Per quod etiam ſignificabatur victoria ſpiritualis, quam Filij Abrahæ virtute fidei per ſemen eius Chriſtum reportaturi erant de Satana & hoſtibus ſpiritualibus; in quo & benedicendæ erant omnes gentes.

Itaque quod Rebeccæ fauſta apprecantes dixerunt

*Gen.24.*

ſunt eius Fratres, in typo dictum eſt, & Mariæ in veritate competit. Meritoque ei dicimus: *Poſſideat ſemen tuum portas inimicorum tuorum.* Quod quidem per Chriſtum, benedictum Mariæ ſemen, factum eſt, dum ad inferos deſcendens, portas inimicorum confregit, vires contriuit, & palàm de illis triumphauit, educens vinctos ſuos de poteſtate eorum. Vbi portæ tuæ & vectes tui ferrei, ô inferorum regnum! Vbi vincula tua, ô Satan! Vbi captiui tui, ô inferne! Ecce is de quo Mariæ, tamquam Filiæ Abrahæ, dictum erat. *Poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum*, venit ad te; cumque mortis vinculis detinere eum cogitares, & portis tuis concludere; tamquam alter Sampſon diſrupit Gazæ tuæ ſeras, perfregit portas, & liber in montem conſcendit cum triumpho & gloria. Ecce ſemen mulieris illius, inter quam & te, ô Serpens Tartaree ab initio inimicitiæ poſitæ ſunt, contriuit caput tuum, & in finem vſque ſæculi conterere non deſinet, vireſque tuas frangere, ac portas munitioneſque diſſipare, in quibus confidis.

*Quid per portas in ſacris litteris ſignificetur*

Per portas ſacris in litteris ſignificantur vires ciuitatum, & magnificentia ac potentia earum, quia in his ædificari ſolent propugnacula, & ex portis fiunt excurſus contra hoſtes, & præmuniuntur vallis & aggeribus, foſſiſque profundis & aquis, ac ponte verſatili, contra hoſtiles incurſus.

*Iud. 2.*

Hinc Arphaxad, de quo in libro Iudith fit mentio, ædificare volens potentiſſimam ciuitatem, quam vocauit Ecbatanis, non ſolùm muros eius fecit ex lapidibus quadratis & ſectis in latitudinem cubitorum ſeptuaginta, & in altitudinem cubitorum triginta, ſed & turres & portas poſuit in altitudinem cubitorum centum, vt eam redderet robuſtiſſimam & magnificentiſſimam: Adde, quòd in portis olim Principes ſedebant & Iudices, ibiq; iudicia exercebantur, & publicę Congregationes fiebant: Vnde illud: *Si leuaui ſuper pupillum manum meam, cùm me viderem in porta ſuperiorem.* (*Iob. 31.*) Et illud de Viro Mulieris fortis: *Nobilis in portis Vir eius, quando ſederit cum Senatoribus terræ.* (*Prov. 31.*) Ibi etiam encomia & heroica geſta publicabantur: *Laudent eam in portis opera eius.* (*Pſal. 72.*) Et Propheta dicit Domino: *Vt annunciem prædicationes tuas in portis filiæ Sion.*

*Societas Carmeli ſub ſcapulari eſt ſemen B. M. V.*

Dicamus ergò hîc, quòd Religio & Societas ſacra Carmeli ſub Scapulari, propago ſit & ſemen Mariæ; ideoque fortiter ſemper dimicauit, vt poſſideret & ſubverteret inimicorum portas, vires, inſidias, ac inſultus. Hæreſis vna eſt ex portis hoſtium, ex portis inferorum, in qua vires ſuas collocat maledictum ſemen venenati ſerpentis. Hanc omni tempore oppugnauit Religio Carmelitana per Viros fortes & inclytos bellatores, qui nouerant vtraque manu bellare & gladium tenere ſicut Aod, in ſcriptura ideò nominatus; (*Iudic. 3.*) immò ſciebant vnâ manu ædificare muros Jeruſalem ciuitatis ſanctæ, quæ Eccleſia eſt, & alterâ dimicare contra hoſtes oppugnantes eam. Habuit enim ab initio electos viros & indefeſſos contra errores inferorum portis excitatos. Teſtis eſt S. Cyrillus Alexandrinus contra Neſtorij errores triumphans in conſpectu totius Eccleſiæ. Teſtis Thomas Waldenſis contra errores Wyclefi, Parentis Lutheranorum & Caluiniſtarum. Teſtes & alij plurimi doctiſſimi & fortiſſimi Athletæ ex hoc Ordine, qui noſtro æuo ſcripſerunt, & prodierunt in aciem contra Hæreſiarchas. Teſtes & alij Concionatores diſertiſſimi, qui inflantes tubam prædicationis ſanctæ, & Jericho circumeuntes, euerterunt muros & portas eius: hoc eſt, vitia, & corruptos mores, doctrinamque prauam ciuitatis malignorum per zelum ſuum diruerunt, & maligna conſilia eorum; vt dicere poſſemus Mariæ, *Soror noſtra es, poſſideat ſemen tuum portas inimicorum tuorum.* (*Ser. 14.*) Teſtis eſt reformatiò ſancta in hunc Ordinem introducta; & per illum, in ſtatum etiam ſæcularem propagata: nam Tereſa, tamquam altera Debbora, Mater in Iſrael & Princeps electorum militum, Ordinem ſuum reformauit, vt mores ſæculi etiam ipſa per ſuos reformare poſſet: immò & contra hæreſes Lutheri & Caluini tunc graſſantes illum inſtituit, quaſi contra portas inferorum, vt ipſa teſtatur.

*Religio Carmelitana in fine mundi ſub Elia reſumet vires*

Dicamus vlteriùs, quòd Religio Carmeli in finem vſque ſæculi perſeueratur, tunc reſumet vires nouas, ſub Duce ſuo Elia, contra Antichriſtum & Antichriſti imitatores, contra vitia & errores: confirmabitque in fide & pietate Fideles, ſub vexillo Crucis & Scapularis pro nomine Chriſti & Mariæ fortiter dimicando. Nec deerunt tunc ei Martyres, qui Eliam Ducem & Patrem ſequentes, ſanguine ſuo Fidei veritatem adſtruerent. Tunc poſſidebunt portas inimicorum, & ſanguis horum Martyrum ſemen erit nouorum Chriſtianorum, immò ſanguis ille extinguet Antichriſtum, vt loquitur Tertull. Tunc *annuntiabunt omnes prædicationes Domini, in portis filiæ Sion.* Sed concludo, & ad Mariam, Sororem ac Matrem noſtram, vota conuerto, & dico.

O Maria, nos quoque eſſe cupimus de ſemine tuo benedicto, quod creſcit in mille millia, & ideò adverſatur nobis ſerpens & hoſtis tartareus, nec eius frangere vires valemus, niſi te adjuuante, caputque conterente, & portas euertente. Fac ergò vt nos Filij tui nunquam hoſtibus ſuccumbamus, ſed fortiter reſiſtamus, vt portæ inferi non prævaleant adverſum nos, ſed in portis mortis poſiti non confundamur, cùm loquemur inimicis noſtris in porta. Quinimmò fac, vt confiſi in luce & gratia cœleſti, ac fortitudine tunc per te impetratâ confiſi in Scapulari tuo, tamquam Symbolo fœderis, & tamquam Armatura ſalutis, vincere finaliter valeamus, & ingredi te Duce portas æternitatis.



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

## LECTIO V.

Thema. *Induxi vos in terram Carmeli, vt comederetis fructum eius, & optima illius.*
Hierem. 2.

*De varijs fructibus terræ Carmelie tanæ.*
*Multa in montibus Deus myſteria exhibuit.*

SOlitus fuit Deus ex antiquis temporibus in Montibus multa exhibere myſteria, vt ad hominum conſiderationem myſteriorum, per montes corporeos mentes noſtras incorporeas eleuaret.

*22. Gen. 2.* *Gen. 28.* *Exo. 3.* *3. Reg 19.* *Gen. 19.*

In veteri teſtamento celebris eſt Mons, in quo iuſſus eſt Abraham immolare Filium, qui & vocatus eſt *Mons Dominus videbit*. Celebris quoque eſt Mons, in quo Iacob dormiens vidit Scalam cœlum contingentem, Dominum innixum, Angelos aſcēdentes & deſcendentes: erectoque altari vocauit eum *Bethel*, hoc eſt, *Domus Dei*. Nec minùs illuſtris eſt Mons Horeb, in quo ex flammante Rubo apparuit Dominus Moyſi, & eum Legatum ſuum inaugurauit. Quem etiam iuſſus eſt conſcendere Elias Angelico pane & aquâ refectus, vt ibi in oſtio ſpeluncæ Dominus eum alloqueretur. Denique non ſine myſterio dictum eſt Loth ab Angelo: *In Monte ſaluum te fac.*

*Matt. 17.* *Matt. 5.* *Mar. 3.* *Matt. 28.*

In nouo teſtamento quid præclarius monte Thabor, in quo transfiguratur Dominus? Monte altero, in quo docet beatitudines & Euangelicam perfectionem? Monte illo, in quo orare ſolitus eſt, in quo & elegit Apoſtolos peractâ oratione? Monte Sion, in quo corporis & ſanguinis ſui myſterium peregit? Monte, in quo crucifigi voluit & occumbere? Monte Galiled, in quo poſt reſurrectionem diſcipulis ſe manifeſtauit? Monte Olіueti, ex quo aſcendit?

*Mons Ca meli cur alijs montibus celebrior.*

Sed de Monte Carmeli hîc nobis mentio eſt, qui celebe……imus eſt & famoſiſſimus ſacris in litteris ob multas ra i )nes.

*Reſp. 1.* *Ierem. 2.*

Primò, ſi vel telluris naturam ſpectes, celebris fuit, quia fertilis vineis, oliuetis, arboribus, & fructibus omnigenis, & amœniſſimus quaſi Paradiſus. Ibi omnes opes, omneſque deliciæ, frumentum, vinum, & oleum. Huc ſpectat illud allegatum ex Hieremia: *Introduxi vos in terram Carmeli, vt comederetis fructum eius, & optima illius.*

*Reſp. 2.* *4. Reg. 2.* *Cant. 7.*

Secundò, celebris fuit ob habitationem Eliæ, Elizæi & filiorum Prophetarum. In illa ſanctiſſimæ vitæ fundamina iaciebantur, & doctrina cœleſtis rore inſtar illuc defluebat. Nec erant filij Prophetarum (filij eruditionis eorum) pauci numero: quandoquidem quinquaginta ex illis requiſierint Eliam poſt eius raptum in cœlum. Sedebant in illo Monte viri ſancti, Prophetæ, & diſcipuli eorum, cœlum ſpectantes, & ſub vmbra quieſcebant in ſtatu quodam perfectionis, in vertice montis & mentis. Hinc illud in Canticis: *Caput tuum ut Carmelus.*

*4. Reg. 1.*

Tertiò, celebris fuit multis miraculis. Ibi ſedebat in vertice Elias, dum ab Ochoſia miſſi ſunt quinquagenarij illi Principes cum ſuis quinquaginta militibus, quorum duo igni abſumpti ſunt, & tertius factus Eliæ ſupplex, incolumis euaſit.

*1. Reg. 18.*
*Viſa nubecula ab Elia B. M. Vo deſignauit.*

Quartò, ad propoſitum noſtrum proximè, celebris fuit viſione nubeculæ de mari in cœlum aſcēdentis poſt longam ſterilitatem, dum oraret Elias, & mitteret puerum ſuum ſepties, ad videndum ſi fortè ſignum aliquod adverteret pluuiæ & hac de re agens B. Ioannes 44. Patriarcha de Ieruſalem, lib. de ortu Monach c. 32 dicit Eliam intellexiſſe per revelationem, illam nubeculam, quæ mox ſe reſoluit in pluuiam, deſignaſſe Mariam Chriſtiparam, quæ exorta de mari amaro naturæ humanæ, producere debebat rorem cœleſtem per ſuum Meſſiam, quo totus irrigaretur Orbis antea ſterilis & exſuccus: & exinde inſtituiſſe Congregationem eius obſequio dicatam, hoc eſt, Virgini pariturae, idque annis 937. ante Chriſti Domini partum. Quam interpretationem proſequitur lib. dicto S. Ioan. Patriarcha, c. 32. & ſeq.

*Elias fundator Ordinis Carmelitarum.*

O verè igitur Carmelus Mons ſanctus & benedictus, Mons luminoſus & myſticus? Si olim S. Franciſcus multa percipiens à Deo myſteria in Monte Aluerni, illum perungi optauit aqua, oleo, vino, imò, ſi fieri potuiſſet, etiam & balſamo, prout in Franciſcanis Chronicis legitur, & alibi retulimus: Abſque dubio vnctione quoque dignus fuit Mons hic: tum ob myſteria in eo peracta: tum ob Carmeli Ordinem ſacrum, vnctionis diuinæ participem, ab eo Monte initium ducentem, & nomen ſuum mutuantem. Quem quidem Ordinem vſque in finem ſæculi perſeueraturum, rectè aſſeritur. Et certè ſi Elias eius Fundator tunc futurus certò creditur, non mirum ſi & Ordo iſte Religioſus, ab eo fundatus initialiter, cum nonnullis ſuis alumnis perſeueraturus tunc adfirmetur, ad cooperandum prædicationi & renouationi Euangelij, & ſimul ad reſuſcitandam per Scapulare ſacratum deuotionem erga Chriſtum & Deiparam Virginem, quandoquidem Scapulare veſtem aſſumptam humanitatis Filij Dei deſignet, & illius Signum ſacrum ſit in populis. De hac re legitur (apud Ioannem Feuardentium in vita S. Petri Thomæ Religionis Carmelitarum alumni deuotiſſimi) B. Virgo Maria dixiſſe: *In finem vſque ſæculi, Petre, Religio Carmelitarum permanebit. Nam Elias illius Inſtitutor Filio meo apparens in Transfiguratione, id poſtulauit & impetrauit.* Quapropter Carmelitis, quoque conveniet tunc temporis quod apud Iſaiam habemus. *Tranſite, tranſite per portas, præparate viam populo, planum facite iter, eligite lapides, & eleuate ſignum ad populos.* *Iſai. 62.*

Ego ergò introduxi vos in terram Carmeli, vt comederetis fructum eius, & optima illius. Atque non ego introduxi vos, niſi tamquam miniſter Chriſti, & ſeruus Mariæ. Hoc ergò vobis dicit Chriſtus, hoc Maria: *Ego introduxi vos.* Et ego ex parte Chriſti & Mariæ idipſum dico. Sodalitium enim iſtud Sacri Scapularis, ſiue B. MARIÆ de Monte Carmelo, locus eſt benedictionis ars *Mon-* *Pſal. 67.*

*tis*

*tis coagulati, Montis pinguis, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo; etenim Dominus habitabit in finem.* Ibi Pater & Filius & Spiritus ſanctus dant benedictionem, Maria impetrante, & Sanctiſſimæ Trinitati famulos ſuos offerente.

Hinc & illa Oratio in ingreſſu Sodalitij, dum eis Scapulare benedictum imponitur: *Benedicat te Conditor cœli & terræ, Dominus omnipotens, qui te eligere dignatus eſt, ad Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo Societatem, & Confraternitatem. quam precamur, vt in hora obitus tui conterat caput ſerpentis, qui tibi eſt aduerſarius; & tandem tamquam victor & palmam, & coronam ſempiternæ hæreditatis conſequaris.*

*Qui ſint fructus montis Carmelitani B.M.V.* Sed quoniam ad participandum fructum Carmeli & optima terræ illius, illuc Christus & Maria ſuos introducit: videndum quæ ſint optima huius terræ, qui fructus huiuſce Montis, quos Maria ſuis proponit. Certè vnicuique iuxta vocationem & profeſſionem ſuam hic proponuntur omnis generis fructus.

*Reſp.* 1. Primò quidem proponitur eis fructus fidei ac ſpei. Nam dum Scapulare benedictum eis imponitur, quod inter ſcapulas retrò pendet, & ad pectus anterius, meminiſſe debent baptiſmi, & renouare fidem illius temporis, quo in pectore & inter ſcapulas vncti ſunt cum ſigno Crucis. Scapulare ergò vtramque hanc partem Cruce ſignatam, & oleo ſacro vnctam tegit, vt ſignificet portandum jugum Domini & Crucis Chriſti, quod leue & ſuaue eſt per olei cœleſtis vnctionem. Itaque rememoratur iſtud: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis; tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Neque tantùm fides hîc, ſed & ſpes renouanda; quia etiam hoc Scapulare, humanitatis Chriſti mortale indumentum à Virgine contextum deſignat, cuius tegumento noſtræ culpæ obteguntur, quia in meritis Chriſti & Virginis Beatiſſimæ omnis noſtra fiducia eſt conſtituta: Hinc & illa oratio in benedictione Scapularis: *Æterne Pater, & Omnipotens Deus, qui Vnigenitum tuum veſtem noſtræ mortalitatis induere voluiſti: obſecramus immenſam tuæ largitatis benedictionem in hoc genus effluere veſtimenti, quod Sancti Patres ad innocentiæ & humilitatis indicium geſtari ſanxerunt; & ſic ipſum benedicere digneris, vt qui ipſo vſus fuerit, mereatur induere ipſum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum.*

*Reſp.* 2. Secundò, proponitur eis fructus charitatis & pietatis erga Deum, ſimulq; charitatis & dilectionis erga proximum. Hoc enim Sodalitium ad hoc primariò inſtitutum eſt, vt excitetur vnuſquiſque ad Deum perfectè ſeruiendum iuxta vocationem ſuam; & ad communicandum ſpecialiter meritis, orationibus, operibusque bonis eorum qui adſcribuntur Eſtque hîc colligatio mutua omnium precum & ſuffragiorum, communicatio quoque ieiuniorum, ſacrificiorum, pœnitentiarum, auſteritatum, & ſpiritualium omnium bonorum totius Ordinis de Carmelo. Hinc rurſus & illa oratio in ſuſcipiendo Scapulari adijcitur? *Suſcipiat te Chriſtus in numerum Fidelium ſuorum, & licèt indignè te ſuſcipimus in orationibus noſtris, concedat tibi Deus per Vnigenitum ſuum, Mediatorem Dei & hominum, tempus benè viuendi, conſtantiam benè perſeuerandi, & ad æternæ vitæ hæreditatem feliciter perueniendi: & ſicut nos hodiè fraterna charitas ſpiritualiter iungit in terris, ita diuina pietas, quæ dilectionis eſt auctrix & amatrix, nos cum Fidelibus ſuis coniungere dignetur in Cœlis.*

Tertiò, proponitur eius fructus caſtitatis purus & ſuauis. Ideò vnicuique, ſecundùm regulam huius Sodalitij, in eius ingreſſu ſpecialiter commendatur caſtitas, iuxta ſtatum quem profitetur: Caſtitas ſcilicet & continentia Virginalis, Virginibus: caſtitas & continentia vidualis his, qui in viduitate agunt: caſtitas & continentia coniugalis, his qui connubio iuncti ſunt. Nec enim minus eis eſt neceſſaria caſtitas quàm alijs, tam ad euitanda ea, quæ adulterina cenſeri poſſent in cogitatione, aut attactu, aut deſiderio & affectu alterius coniugis, quàm in moderatione voluptuoſi & indecori exceſſus in proprio coniugio; qui quidem exceſſus non ſunt infrequentes inter coniuges, & quandoque graui poſſunt eſſe culpæ obnoxij. Non inſulsè ad hanc rem reſpondit cuidam conjugato glorianti ſe nonniſi ſuam attingere conjugem B. Ægidius S Franciſci ſocius: *Quaſi verò,* inquit, *ex ſuo vaſe bibendo non poſſit quis inebriari.* *Reſp.* 3.

Quartò, proponitur fructus gaudij & pacis in Spiritu ſancto per lætitiam bonæ conſcientiæ. Ideò his, qui adſcribuntur Sodalitio huic, commendatur recitatio ſeptenæ Orationis Dominicæ de die in diem, & ſeptenæ Angelicæ ſalutationis: ad rememorandum præcipua gaudia Virginis Deiparæ, quę & ſeptenario numero ſolent comprehendi: vt illa nobis verum gaudium & ſolidum in conſcientia bona impertret in hac vita, ac poſtmodum participationem gaudij æterni in altera. Et quia ſcimus hanc vitam mixtam eſſe debere ex gaudio & dolore, ex proſperitate & aduerſitate: ſimul etiam recitantur ſeptem aliæ Orationes Dominicæ, & totidem Salutationes Angelicæ, vt dolores noſtros eius doloribus coniungamus, & per ſuos illos præcipuos dolores, qui ſeptenario numero etiam ſolent comprehendi, noſtros mitigemus, & ſacratos eorum conſortio reddamus, Sicque & hîc nobis fructus pœnitentiæ fructusque patientiæ in adverſis apponitur. Hi ſunt dactyli ſuaues, quos profert Palma Carmeli, adverſis premi potens, ſed non opprimi, quia in altum ſemper conſurgit quò magis premitur; & licet aſpera ſit in cortice, fructu tamen fœcunda eſt, & ſuauis. *Reſp.* 4.

Quintò, proponitur eis *Oleum*, *Frumentum*, *& Vinum*: quia ideò quis inſcribitur huic Confraternitati, vt ſæpius ſacra communione reficiatur, & ibi cum frumento electorum, & vino *Reſp.* 5.

Virgini-

Virginitatem germinante, oleum gratiæ cœleſtis copioſè percipiat, vacetque operibus pietatis, & *Pſ.51.* tamquam *Oliuæ fructifera in domo* Dei producat fructus miſericordiæ & charitatis erga proximos, erga egenos, erga afflictos. In hoc ergò monte Carmeli non deeſt oleum gratiæ, pinguedo ſpiritus, adeps frumenti, ſuauitas vini; illius vtique vini, frumenti, & olei, de quibus ſcriptum eſt apud Pſal- *Pſ.4.* miſtam: *A fructu frumenti, vini, & olei multiplicati ſunt* Ad hoc frumentum, vinum, & oleum copioſius participandum; invitantur omnes, qui inſcribuntur Sancti Scapularis & Montis Carmeli Confraternitati, non ſolùm ſingulis feſtis Virginis Mariæ, ſed etiam ſemel ſingulis menſibus cum priuilegio indulgentiarum. Poſſuntque cum Sponſa di- *Cant. 1.* cere: *Sub vmbra illius quem deſideraueram ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Meritò igitur introducitur Chriſtus, aut Maria, eos his verbis allo- *Ier. 2.* quens: *Ego introduxi vos in terram Carmeli, vt comederetis fructum eius, & optima illius.* Frequens nimirum confeſſio, frequens verbi diuini auditio, frequens communio, frequens auditio Sacri & alia pietatis exercitia. *Optima illius ſunt*, ad quæ vocantur, vt delicijs fruantur hîc cœlicis. Poſſunt rurſus Carmeli huius alumni cum Pſalte decanta- *Pſ.21.* re: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me collocauit. Super aquã refectionis educauit me, animam meam convertit. Deduxit me ſuper ſemitas iuſtitiæ propter nomen ſuum.* Omnia enim hæc adimplentur in illis, qui ſincera pietate ſeſe inſcribunt Carmelitanæ Societati, & eius conſtitutiones lubenti animo & ingenuo corde ſequuntur, ſub directione Ieſu Paſtoris ſummi, & *Pſ.94.* protectione Mariæ Matris eius, tamquam *agni manus eius, & oues paſcuæ eius.*

*Reſp. 6.* Denique proponitur eius fructus perſeuerantiæ vſque in finem. Nam promiſit eis Beatiſſima Mater opem in omnibus, & maximè in fine vitæ; nec deerit ipſa, ſi ipſi ſibi non defuerint, peragendo ea quæ eis in honorem Virginis præſcripta ſunt. Hic enim eſt fœdus quoddam ſacrum mediante Scapulari, tamquam ſacro ſymbolo, ſancitum inter Mariam & eius alumnos deuotos, vt eis auxilium & protectionem impendat contra inſidias inimici, & pœnis purgatorij eripiat, ac in Montem Carmeli ſublimem & æternum tandem eos introducat, vt fructum gloriæ percipiant, & optima quæque Terræ illis promiſſæ comedant, in perenni ipſius & Sanctorum Societate. Hinc rurſus & illa ratio: *Caput omnium Fidelium Deus, & humani generis Saluator, hunc habitum, quem propter tuum tuæq; Genitricis Virg. Mariæ de Monte Carmeli amorem atq; deuotionem ſeruus tuus eſt delaturus, dextera tua ſanctifica; & hoc quod per illum myſticè datur intelligi, tua ſemper cuſtodia corpore & animo ſeruetur, & ad remunerationem perpetuam cum Sanctis omnibus feliciſſimè perducatur.* Dicere ergò iterum poteſt, qui ſuſcipit cum deuotione erga Ie- *Pſal.22.* ſum & Mariam Scapulare ſacrum, idem quod Pſalm. *Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Cum illo eſt Ieſus, cum illo eſt Maria; Scapulis ſuis obumbrant, ita vt poſſit ſub pennis vtriuſque ſperare aduerſus tribulantes ſe. Miſericordia huiuſce Matris & Fra- *Ibid.* tris *ſubſequetur eum omnibus diebus vitæ, vt inhabitet in domo Domini in longitudinem dierum.*

Hoc porrò cauendum, quod apud Hieremiam themati noſtro adijcitur. Cùm enim dixiſſet Do- *Ierem. 2.* minus: *Ego vos induxi in terram Carmeli, vt comederetis fructum eius, & optima illius.* Mox pro exprobratione ſubdit: *Contaminaſtis ingreſſi terram meam, & hæreditatem meam poſuiſtis in abominationem.* Hæc fuit magna ingratitudo erga adeò beneficum Dominum. Sic & magna eſt ingratitudo eorum, qui Scapulare ſacrum ſuſcipientes, Sodalitio Carmeli adſcribuntur, vt fructus indulgentiarum, & communicationem meritorum Chriſti, ac Beatiſſimæ Virginis Mariæ promereantur protectionem; interim æquè hærent in luxurijs vt antea æquè ſunt diſſoluti, ebrioſi, & blaſphemi; æquè impatientes, iracundi, rixoſi, æquè iniuſti, & alijs vitijs addicti. An non de his dicere poteſt Dominus, dicere poteſt & Maria: *Contaminaſtis ingreſſi terram meam, & hæreditatem meam poſuiſtis in abominationem?* Certè iniuriam faciunt Virgini; iniuriam Scapulari, quod in ſymbolum puritatis conſcientiæ ſuſcipitur: iniuriam terræ & hæreditati Virginis ſacratiſſimæ, hoc eſt, Monti Carmeli, & Libro vitæ, cui inſcribuntur: quandoquidem in ſpiritu & bona conſcientia ſeruire Chriſto & Matri eius profitentes, interim impuritati & morti ſeſe addicunt per peccata mortifera ſæpè repetita. Nam ad hoc ingreſſi ſunt in hanc Fraternitatem & Virginis immaculatæ hæreditatem, vt à peccatis grauioribus abſtineant, & pietati partheniæ ſeſe devoueant quoad fieri poteſt immaculatè. Propterea in ſuſceptione Scapularis benedicti eis dicitur. *Accipe hunc habitum benedictum, precantes Sanctiſſimam Virginem, vt illum perferas ſine macula, & te ab omni aduerſitate defendat, atque ad vitam perducat æternam.*

*Magna ingratitudo, beneficio Suſcepti Scapularis non conformiter viuere.*

Non ſine cauſa dixit quondam Beatiſſima Virgo cuidam graui peccatori, invocanti eam vt Matrem Miſericordiæ: Vos me vocatis *Matrem Miſericordiæ*, interim facitis me *Matrem Miſeriæ*, dum peccata peccatis addentes, & ſine cordis compunctione me inuocantes, renouatis vulnera Filij mei, doloresque meos: quantum in vobis eſt. Reſipiſcite igitur ſeriò, ſi me Matrem invocatis, & propitiam expoſcitis. Quaſi diceret. Non meremini de eorum numero eſſe, qui ſe meæ deuotioni & hæreditati adſcribunt, ſi aliter vitam non componitis. Ego vos non agnoſco vt Filios, quia nec vos vt Matrem. Ego in Iacob inhabito, & in electis mitto radices, & in Iſrael hæreditas mea. Videte vt nomine Jacob honorari poſſitis *Luctantes contra vitia*: vt & Jſrael tandem fiatis, *Videntes Deum*, electorum numero adſcripti. *Ego vos introduxi in terram*

ram

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*ram Carmeli, vt comedatis fructum eius, & optima illius*: non ſolum in hoc tempore, ſed etiam in æternitate, in viſione, ventione, fruitione perpetua.

*Exēplum*

Quicumque agnoſcit Mariam, vt Matrem, & ſtatum ad quem illius directione pertingit, vt hæreditatem ſacram veneratur, illumque peccatis contaminare abhorret, felicem nanciſcitur finem, ducente & protegente Maria. *Hinc B. Conradus S. Dominici diſcipulus, quia in Religionis ſtatu magna cum pietate ſeruierat Beatiſſimæ Virgini, Ordinis ſui habitum & Scapulare immaculatum à peccatis grauioribus conſeruans, in morbo ſuo poſtremo prædixit ſe moriturum in die Natiuitatis Beatiſſimæ Matris ſuæ Mariæ, hncq; diem fore ſibi Natalem ad renaſcendum vitæ æternæ. Hoc abſque dubio à B. Virgine didicerat, quæ ei Mater eſſe debebat ad extremum vſque ſpiritum. Vnde cum acri illo morbo vrgeretur, reſpiciens in auctorem fidei & conſummatorem Ieſum, Filium Virginis, ſæpè illud amantiſſimè repetebat: Dilectus meus mihi, & ego illi, donec adſpiret dies, & inclinentur vmbræ. Iamiam autem moriturus dicebat Fratribus Religioſis apud lectulum ſuum congregatis. Scitote Fratres, me mori fideliter, amanter, Confidenter, hilariter. Fideliter, quia in fide Domini mei Ieſu Chriſti, & S. Matris Eccleſiæ. Amanter, quia à die, quo habitum ſanctum indui, ſtudui me in gratia ſeruare, & quoad potui, Deo in omnibus placere. Confidenter, quia ſcio me ire ad Domum Domini mei, & Matris meæ Mariæ. Hilariter, quia mortis punctum in quo me videtis, tranſitus eſt à planctu ad lætitiam, à labore ad quietem. Sic mortuus eſt quaſi inter brachia Mariæ in die Natiuitatis eius magno cum deſiderio & gaudio, anno* 1239. Vide Hiſtoriam Ordinis S. Dominici apud Ferdinandum Caſtiglium.

*Heb.* 12.

---

## Lectio VI. Tripart.

Thema *Ego quaſi Aquæductus exiui de Paradiſo, & dixi: Rigabo Hortum Plantationum mearum.* Eccli. 24.

Pars I. *Quomodo confraternitas Montis Carmeli ſit Mariæ Hortus.* *Eccli.* 24.

CVm varij Tituli honorifici Beatiſſimæ Virgini Mariæ adſcribantur, illi qui ex ſacris litteris deducuntur ab Eccleſia, vel SS. Patribus, maximè æſtimandi ſunt. Inter hos recenſendus eſt ille, quo à S. Bernardo & alijs SS. Patribus Maria *Aquæductus* nominatur. Et certè ille Titulus alios complectitur in Litanijs Eccleſiæ decantatos, vt patebit expendenti.

Eſt porrò Titulus iſte honorificus deductus ab hortis, qui aquam expetunt, quorum areolæ, lecti, cubilia variegata, egent crebra irrigatione; alioqui horti ipſi ſteriles manent & infrugiferi. Illi verò horti peramœni ſunt & perfœcundi, vbi terram Fons & Aquæductus ſiccitatis tempore irrigat. Quia plantæ ibi facilè creſcunt, impinguantur, radicantur, & fructum tandem ſuum copioſè proferunt. Hoc ſatis docet experientia in hortis humana arte & manu cultis. Explicandum id reſtat in Horto diuina manu conſito, hoc eſt, in Eccleſia Dei. Chriſtum ibi meritò Fontis nomen obtinet. Tū quia Fons eſt ſecundùm diuinitatem originem trahens à Patre: *Fons ſapientiæ, Verbum Dei in excelſis.* Tum quia etiam Fons eſt ſecundùm humanitatē: *In illa die erit Fons patens domui Iacob, & habitantibus Ieruſalem* Fons purificationis & ſanctificationis, Fons doctrinæ & ſapientiæ. Fons vitæ & gratię, Fons beatitudinis & gloriæ; ideoque dictus *Fons hortorum, cuius non deficient aquæ.*

*In horto Eccleſiæ fons eſt Chriſtus.* *Eccli. c.* 1. *Zach.* 1. *Iſai.* 58.

Maria Aquæductus & Canalis nomen obtinet: quia nihil ex hoc Fonte, nihil ex Paradiſo manat, niſi per eam: *Ego quaſi Aquæductus exiui de Paradiſo.* Quæ ſunt aquæ Paradiſi, niſi gratiæ, & dona cœleſtia, ac virtutes? Quæ ſunt aquæ Paradiſi, niſi fides, ſpes, charitas, continentia, caſtitas, patientia, humilitas, & puritas animas afficiens & perficiens? Omnes iſtæ aquæ ſanctificationis à dicto Fonte deriuantur, ſed per Mariam animæ noſtræ ſunt ſicut *Terra ſine aqua* ex ſe ſteriles, ſiccæ & exſuccæ: at quia Hæreditas Dei ſunt, ideò ad eum clamamus: *Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ, & infirmata eſt, tu verò perfeciſti eam.* Hæc autem Pluuia voluntaria (gratiam Spiritus S. deſignans, qui à Patre procedit & Filio per voluntatem) non defluit ad nos niſi per Mariam, & per illam infirmitatem noſtram Deus corroborat, ac imperfectionem tollens, nos perficit. Dona Dei ſunt ſicut *Stillicidia ſtillantia ſuper terram*: quandoque tamen copioſiſſimæ defluunt ſuper Hæreditatem Domini, Maria tamquam Aquæductu & Canali ampliſſimo eam refundente. Qui vult ſugere ad ſatietatem, aut irrigari ad fertilitatem, ad hunc Aquęductum accedat per pietatem ſinceram, abſque dubio. *Erit tamquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.* Immò illi conveniet illud. *Florete flores quaſi lilium, & quaſi roſa iuxta aquas fructificate, & date odorem frondete in gratiam.*

*B. M. V. eſt Aquæductus.* *Eccli.* 24. *Pſ.* 67. *Pſ.* 71. *Pſ.* 1. *Eccli.* 39.

Licet verò Maria, tamquam Aquæductus generalis omnes planè fideles irriget, quaſi Plantas Eccleſiæ vniuerſalis: Attamen dicit ſe ſpecialiter rigaturam *Hortum plantationum ſuarum.* Dicamus autem ad propoſitum noſtrum, quod Hortus, ſpecialis plantationum Mariæ ſit Carmelus. Hunc enim ſua plantauit manu, coluit, ſeuit iam ab initio inſtitutionis eius, & de die in diem nouo rore irrigare non ceſſat, nec ceſſabit in finem vſque ſæculi, vt plantæ eius creſcant, adoleſcant, matureſcant, ad producendum fructum gratiæ, ac deinde gloræ. Ordo Carmeli Virginis Deiparæ impulſu per Tereſam Virginem nouo labore excultus & reſtitutus in antiquum ſplendorem, ſarculo recentis diſciplinæ & ſtrictæ obſeruationis à vepribus expurgatus, quaſi nouus eſt *Paradiſus voluptatis*, quem dum noſter Aquæductus de Paradiſo cœleſti ſuis irrigat aquis, inveniuntur in eius Areolis Roſæ, Lilia, Violæ, Hyacinthi, Heliotropia, & innumeri flores fragrantiſſimi, qui odorem ſuauitatis in Eccleſiam Dei, imò in Cœlum vſque ſpar-

*B. M. V. ſpecialiter irrigat hortum ſuū Carmelitanum.*

gunt; tot ſcilicet animæ piæ & religioſæ, caſtæ, humiles, cæleſtes.

De hoc quoque Horto plantationum Mariæ cenſendi ſunt, qui Sodalitio Carmeli per ſymbolum ſacrum ſuſcepti Scapularis adſcribuntur; quia & hoc Sodalitium (ſiue Confraternitas) in honorē ipſius Virginis eſt inſtitutum primario, atque pietatē ſpecialē profitetur ſub eius vexillo virgineo: Hic Plantæ debent ferre fructum, & quidem *vnaquæque iuxta genus ſuũ*: ideo dũ illi horto inſerũtur Sacerdotes Religioſi, Virgines, Viduæ, Coniugati & Coniugatæ, monentur iuxta ſtatum ſuum & vocationem Chriſto in ſpiritu & veritate, in caſtitate & pietate ſeruire, ac Virgini Deiparæ affectũ ſuum ſincerè addicere: hac enim plantante & rigante non poſſunt non copioſum fructum ferre.

*Geneſ.* 1.

PARS II: *Quomodo plantæ Horti Carmel. B. M. V. à Patre & Matre cæleſti debeant plantari.*

Felices igitur qui Plantæ dici poſſunt per Mariam in horto ſuo plantatæ; quia de illis dici poteſt: Plantatio quã plantauit Pater meus (vel Mater mea) non eradicabitur; quandoquidem ipſe Chriſtus dicat è contrariò: *Omnis plantatio quam non plantauit Pater meus cæleſtis, eradicabitur.*

*Matth.* 15.

Quapropter vt agnoſcamus, an verè ſimus, plantæ Horti huius Parthenij, nonnulla ſunt conſideranda.

*Reſp.* 1.

Primò, an Pater cæleſtis nos hic plantaverit, hoc eſt, an huic Confraternitati Scapularis ſacri, & ſancti Montis Carmeli aggregemur ex inſpiratione Dei, vt illi ſincero corde perfectius ſervire valeamus, & vt auxilium ſpeciale ad id inveniamus. Hæc nempe debet eſſe intentio, nec enim ſolum moveri debemus humana aliqua ratione, aut quia hæc eſt conſuetudo multorum eam ſequi, ne fortè nota aliqua oblocutionis nobis inuratur. Ex radice amoris & timoris Dei debet provenire hæc intentio noſtra vt pia ſit, & ſic merito Plantæ cæleſtis Patris dicamur.

*Reſp.* 1.

Secundò, videndum etiam & conſiderandum, an Mater Dei nos in hoc ſuo plãtaverit horto. Hoc eſt, an affectus ſingularis erga Virginem Matrem nos moveat, vt eius Libro inſcribamur & Fraternitati. Hæc enim debet eſſe Radix plantarum quæ ſunt in Horto eius, quia ei dictum eſt: *In Electis meis mitte radices*

*Eccli.* 24.

*Reſp.* 3.

Tertiò videndum, an ex hac radice prodeant frondes virides, flores flagrãtes & ſpecioſi, fructus pretioſi? Quid ſunt frondes, ſiue viridãtia folia? Verba ſunt in alloquijs noſtris irreprehenſibilia. Quid ſunt flores; Pia ſũt deſideria, affectus, & vota. Quid fructus, Opera ſunt meritoria. Itaque vt ſimus plantæ huius Horti Virginei, caſtas decet eſſe in cogitatione & ſermone, radicemque diuinæ gratiæ ſemper retinere, ac opera miſericordiæ, charitatis, pietatis ſedulò exercere: Omnis arbor quæ hos non producit fructus, excifione digna eſt: Omnis arbor quæ nõ novit producere niſi fructus amaros ſuperbiæ, iniuſtitiæ, impuritatis, invidiæ, non poteſt eſſe de Horto plantationum Mariæ, quæ contrarijs ſemper effulſit virtutibus, & hæc vitia maximè odit, tamquam Mater puritatis, Mater humilitatis, Mater charitatis. Quiſquis his vitijs ſcatet, inter *adulterinas plantationes & ſpuria vitulamina* meritò adnumeratur, quæ *non aabunt radices altas*

*Sap.* 4.

Cæterùm hi, qui inter Plantas horti huius recenſentur, inter ſpinas converſari monentur vt fiant Roſæ: hoc eſt, monentur vt conſiderent dolores Virginis ſacræ, tamquam ſpinas pungentes; & ſubinde eiuſdem gaudia poſt mœrores tamquam Roſas & Lilia; ſicque ijs afficiantur, vt veræ compunctionis & compaſſionis participes efficiantur; ac deinde gaudij & lætitiæ ſolidæ: *Si enim compatimur & conglorificabimur.* Nullum verum gaudium reperiri poteſt, niſi in illo *qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem*: niſi & per illam quæ ad crucem ſecuta eſt tamquam Filia Abrahæ Iſaac ſuum, ſiue lætitiam & gaudium; cuius interceſſione precamur *à præſenti liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia.*

*Heb.* 12.

PARS III. *Quomodo plantæ Carmelitanæ B M V. irrigẽtur.*

Has porrò ſuas plantas, quæ benè radicem fixerunt, varia irrigat & complet benedictione ſecundùm promiſſionem ſuam.

1. Inſtillat eis pietatis viuificum ſuccum & rorem vt non deficiant. 1.

2. A varijs occaſionibus peccatorum ſua protectione defendit. 2.

3. Non ſolùm in periculis animæ, ſed etiam corporis adeſt, & protegit. 3.

4. Præſeruat ab igne æterno, varijs auxilijs aſſiſtens in vita, & ſpecialiter etiam in morte. 4.

5 Ab igne etiam eripit purgatorio piè defunctos, qui ſuo muneri non defuerunt. 5.

*Fratres Carmelitani cum Scapulari ſepeliuntur.*

Propterea monentur ſinguli huic Confraternitati adſcripti, non ſolùm cum pietate Scapulare ſacrum deferre, ſed etiam cum illo ſepeliri; vt hoc velut ſymbolo rememoretur fœdus, quod Deipara Mater & Virgo cum pijs ſuis ſeruulis inijſſe cenſetur pro auxilio in vita, in morte, poſt mortem eorum. Certè cognouit S. Thereſa, Carmelitani Ordinis decus, plurimas animas non ſolùm ab inferno, quem promereri quandoque potuerant, ſed etiam a Purgatorio, & eius expiatorijs flammis mox à morte liberatas, quaſi Mariæ Matri donatas ob ſpecialem quem erga eam gerebant affectum, per preces quotidianas, & Scapularis piam geſtationem demonſtratum.

*Animæ piæ à B. V. M. non ſolùm irrigantur, ſed etiam inebriantur.*

Sed & hoc addendum, non ſolùm per Mariam, tamquam Aquæductum, animas pias irrigari, ſed etiam quaſdam inebriari. Sic enim ipſa introducitur loquens: *Rigabo hortum plantationum mearum, & fructum partus mei* (vel vt alij legunt Prati mei) *inebriabo.* Quid eſt quod Maria dicit ſe inebriaturam partum, vel pratum ſuum, niſi quod ſublimes nonnullas animas ſic copioſè perfundit, vt inebrientur ab vbertate domus Dei? Teſtis eſt S. Tereſa, & multæ eius conſodales. O igitur felix Carmelus, ô felix & Montis Carmeli Confraternitas, ſi hoc Aquæductu de Paradiſo exeunt: irrigata floruerit caſtitate & puritate, charitate & amore, humilita-

te & feruore in obſequio Chriſti & Mariæ! Non continget eius plantationes extirpari, & in ignem mitti, ſed tranſplantari Horto æterno inſerendas,

Nonne ad hunc effectũ vos hodiè exhortamur? Nonne vos inuitat ipſa Virgo Deipara hodierna die offerens gratias & ſtillicidia, immò rorem matutinum & ſerotinum, ac pluuiam abundantem, quibus animæ veſtræ irrigentur, ita vt conqueri *Pſ. 141.* haud valeatis: *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi?* Certè hoc ei cordi eſt, vt pluuiam voluntariam ſuſcipientes, fructum omnigenæ virtutis iuxta ſtatum veſtrum & vocationem producatis. Felix igi- *Eccli. 24.* tur qui ore cordis audierit Mariã ſibi dicentem: *Ego quaſi Aquaductus exiui de Paradiſo, & dixi, Rigabo hortum plantationum mearum.* Felix qui hoc audiendo, & corde conſeruando, ſe dignè ad hanc Aquã percipiendam præpararit, & ea benè vſus fuerit.

Hoc itaque concludendo dicimus, non ſufficere, vt quis Plantatio horti Virginei dicatur, quod *Quid requiratur à planta horti B. M.V.* pietatis externa aliqua ſigna in Scapularis ſacri geſtatione exhibeat, aut quod ſolùm orationis quotidianæ aliqua in eo gẽrminent folia, quaſi volantia verba; aut denique quod leuia emendationis producat propoſita. Opus eſt fructu ſolido & ſuaui *Matt. 7.* pietatis & virtutis, Maria irrigante. Sicut *non omnis qui dicit Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum.* Sic nec omnis qui dicit, Domina, Domina, intrabit in regnum cœlorum. Sed qui fecit voluntatem Patris & Domini, Matris & Dominæ, intrabit in regnum cœlorum. Eadem autem eſt voluntas *1. Theſſ. 4.* Matris & Dominæ, quæ Patris & Domini: *Hæc eſt autem voluntas Dei ſanctificatio veſtra, vt ſciat quiſq; vas ſuum poſſidere in honore & ſanctificatione, non in paſſione deſiderij* Hęc eſt rurſus voluntas Dei, *ne quis ſupergrediatur, aut circumveniat in negotio Fratrem ſuum.* Deniq; hæc eſt voluntas Dei, *vt charitate Fraternitatis diligatis inuicem, & vt quieti ſitis, ac negotium veſtrum agatis, & nullius aliquid deſideretis.* Hæc omnia inſinuat Apoſtolus. Hæc eſt quoq; voluntas Mariæ Matris veſtræ, quia hæc omnia commendat vobis in hac ſua Confraternitate; neque vult vos vllatenus à Dei ſuaq; voluntate diſcordare.

Gratiſſimum ei quondam fuit audire reſponſum S. Aldegondis, celebris in Belgio Virginis. Hæc cũ Virgini Deiparæ multo affectu & obſequio deuota foret, monita eſt quadam die ab ipſa Deipara, vt peteret quicquid vellet, & hoc ei dandum promitte- *Matt. 7.* batur: Cui illa: *O Domina mea, vnicum hoc peto, vt voluntas Dei fiat, Mea enim voluntas non eſt alia quàm Dei voluntas.* Quid acceptius potuit eſſe Virgini Matri, quæ vnicè procurat gloriam Dei, & voluntatem Filij ſui ac Patris æterni.

Iterum ergò repetimus: Non eſt ſatis invocare Deum, invocare Virginem B. negligendo eius Deíque voluntatem. Multi dicent in illa die: *Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & virtutes fecimus?* Et audient: *Numquam noui vos.* Sic multi in illo die dicent: O Domina mea, Maria Mater gratiæ, nonne in honorem tuum portauimus Scapulare tuum, Roſarium frequenter recitauimus, & multas Salutationes, Preces, Litanias diximus? Et tamen audient, *Neſcio vos.* Non agnoſco vos vt Plantas horti mei, quia propter ſuperbiam, inuidiam, iniuſtitiam, impudicitiam, gulam, eradicari meruiſtis. Vos portaſtis Scapulare in corpore, non portaſtis in corde. Iugum Domini diſciplinam meam neglexiſtis Matrem veſtram imò & Spiritum ſanctum impura vita veſtra contriſtaſtis, ideò exciſi à radice mea ad ignem deſtinati eſtis.

O Maria, Mater & Domina noſtra, da vt ſimus de plantis fructiferis Horti plantationum tuarum, vt nos ſemper conſerues & irriges vſque ad extremam horam mortis, ſicque in pietate viuamus & creſcamus, donec tranſplantemur & transferamur in Hortum beatæ Æternitatis.

---

## LECTIO VII.

Thema. *Fac mecum ſignum in bonum, vt videant qui oderunt me, & confundantur, quoniam tu adiuuiſti me.* Pſal. 85.

Multa antiquitus dedit ſigna Deus ſuis ſpecialis protectionis & dilectionis, quibus & ipſi obſtringerentur ad ſpecialem ei ſeruitutem & gratitudinem rependendam. *Pro Confraternitate Scapularis. Varia protectionis Dei ſigna.*

Sic fœdus paciſcens cum Noë, quem liberaue rat à diluuio, promittensque non vltra ſe diluuio ſubmerſurum terram, poſuit *in ſignum fœderis Arcum ſuum in nubibus Cœli.* *Gen. 9.*

Sic promittens Abrahæ ſe ſemen eius eductu rum è ſeruitute poſt longam & càligmoſam afflictionem, dum offerret ſacrificium veſperè, tranſire fecit lampadem ignis ardentem inter ſacrificij diuiſas victimas, in ſignum fœderis. *Gen. 15.*

Sic etiam ſanguis Agni in poſtibus Hebræorum, ſignum fuit ſalutis & protectionis.

Notum eſt & de æneo ſerpente, quomodo ſi- *Exodi 12.* gnum fuerit ſalutis his qui eum piè inſpectabant. *Num. 21.*

Denique, funiculus coccineus datus fuit in ſignum Raab meretrici, vt illum appenderet feneſtræ, & ſic ſaluaret domum ſuam ab internecione. Hinc ipſa: *Detis mihi verum ſignum, vt ſaluetis Patrem meum, & Matrem, fratres, & ſorores, & omnia quæ illorum ſunt, vt eruatis animas noſtras à morte.* *Ioſ. 2.* Cui reſponſum eſt: *Signum erit Funiculus coccineus, ſi ligaueris eum in feneſtra, & Patrem tuum, ac Matrem, fratreſq; & omnem cognationem congregaueris in domum tuam.*

Cæterùm hæc omnia dicta ſigna protectionis & fœderis, ſiue ſalutis, data antiquitus, commendabant in typo & figura memoriam Paſſionis Domini, quæ nobis datur in ſymbolum ſalutis & protectionis, ac dilectionis diuinæ. Hanc enim ſignificabat ſiue Iris varijs depicta coloribus in nube: ſiue ſanguis Agni in poſte: ſiue æneus ſerpens in ſolitudine ſiue Coccineus Funiculus appenſus in feneſtra patente.

*Pſ. 85.*

*Primarium ſignũ ſalutis eſt deuotio erga Chriſtum Crucifixum, eiusque paſſionẽ.*

Itaque, ſiue dicamus cum Pſalte: *Fac mecum ſignum in bonum, vt videant qui oderunt me, & confundantur*, ſiue dicamus cum Raab: *Detis mihi verum ſignum, vt eruatis animas noſtras à morte.* Verum & Primarium ſignnm, quo liberantur animæ noſtræ à morte & mortis diſcrimine, quod etiam adverſantur qui nos oderunt, quia per illud confuſi ſunt, *Deuotio eſt erga Chriſtum Crucifixum, & eius ſacram Paſſionem:* ex qua nobis omne bonum, omnis ſalus, omnis protectio contra hoſtes & contra mortem. Hæc liberat filios Abrahæ è ſeruitute. Hæc protegit ab Angelo exterminante. Hæc ſanat à veneno & infirmitate. Hæc liberat Raab & Fratres eius, peccatores ſcilicet, ab internecione & perditione.

*Secundarium ſignum ſalutis eſt deuotio erga B. V. M.*

Alterum ſignum quod Chriſtianis datur, quo præualeant contra hoſtes, eosque confundant, & quo adjuuentur ad ſalutem, *Deuotio eſt erga Deiparam Virginem.* Quam deuotionem varijs ſymbolis externis cœlitùs ordinatius teſtari poſſunt. Quapropter ſicut S. Franciſco Chriſtus in memoriam Paſſionis ſuæ (quàm & renouare debebat in cordibus Fidelium) inſpirauit Chordam pro cingulo accipere, & funiculos ſimiles ſimilem ob cauſam Fidelibus diſtribuere. Ita quia elegerat Sanctum Dominicum, vt omnes ad Matris ſuæ cultùm ſingularem incitaret, oſtendit ei Sacrum Roſarium, tamquam ſignum verum huius cultus, quod traderet Chriſtianis ad fouendam deuotionem erga Deiparam iſtam Virginem, & ad eius laudes ſæpè repetito Angelico præconio decantandas, quaſi nouo quodam parthenio Pſalterio.

Sic & B. Simoni Stock, Generali Ordinis Carmelitani, cœlitùs in Choro Angelorum à Beatiſſima Maria, & Filio eius Ieſu Chriſto traditum eſt Scapelare ſacrum, ſignum dilectionis, & protectionis, pro ſe ſuisque, ac pro omnibus, qui Sodalitio & Fraternitati ab eo erectæ in honorem Virginis Deiparæ, nomen darent. Quare ei à Maria tunc dictum eſt: *Accipe hoc Scapulare, Fraternitatis meæ ſignum ſingulare, in quo quis moriens æternum non patietur incendium. Ecce ſignum ſalutis, ſalus in periculis, fœdus pacis & pacti ſempiterni.* Quid clarius? Quid ſuauius? Quid pretioſius? Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus. Nihil dici clarius poterat à Virgine. Nihil ſuauius acceptari à Simone filio obedientiæ. Nihil pretioſius hoc dono, cum adiuncta ei promiſſione.

Dicamus igitur, quòd ſicut olim Elias, cœlum conſcendens curru igneo, Pallium ſuum reliquit Elizæo, non ſolùm in ſymbolum dilectionis, quâ ferebatur erga diſcipulum ſuum, ſed etiam in ſignum participationis eiuſdem ſpiritus prophetici, quem ei tamquam ſuo hæredi à Domino impetrarat: Ita Mariæ quodammodo Pallium eſt Scapulare hoc ſacrum; quod qui piè geſtant, ſpiritus virginei participes efficiuntur & hæredes. Ac ſicut per Pallium Eliæ Elizæus potuit Jordanis tumidos fluctus diuidere, & ſecurè pertranſire. Sic & per hoc Scapulare adjuuantur Fideles, qui fiduciam in Virginem Deiparam figunt, ad pertranſeundum fluctus & pericula huius ſæculi, vt in Ieruſalem poſſint pertingere, tranſmiſſo velut Jordanis tumultuantis flumine.

*4. Req. 2.*

*Pallij Eliæ, & Scapularis comparatio.*

Certè poſt hanc promiſſionem per Virginem Deiparam Viro pientiſſimo & ſapientiſſimo factam; hoc ſacrum Scapulare Carmeli ſuſceperunt, non ſolùm Religioſi in Ordine illo profeſſi, ſed etiam Sacerdotes & Epiſcopi, Reges & Principes, Virgines & Viduæ, Viríque ac Mulieres cuiuſcumque ſtatus, vt ſub hoc ſacro Signo virgineæ pietati ſe dicarent. Quocirca dicere poſſumus quòd illud ſit velut Purpura Regum, Superhumerale Pontificum, Ephod Sacerdotum, Veſtis & Velum Virginum, Ornamentum Reginarum, Collare pretioſum Viduarum, Habitus pietatis omnium Virgini deuotorum, quo protegi poſſunt ab hoſtibus inuiſibilibus, & viſibilibus, & à varijs periculis, tam corporis quàm animæ.

*Tituli Scapularis.*

Nec mireris, quòd particulæ panni Scapularis appoſitæ tantam ineſſe virtutem dicamus: nec enim ea virtus aut à panno aut ab eius forma & diſpoſitione provenit, ſed à benedictione cœleſti, quam ei impertiuntur habentes poteſtatem: immò à benedictione Virginis & eius promiſſione procedit; quæ haud poteſt eſſe inanis, ſi fiduciam conceperis & pietatem debitam erga tantam Matrem, tamque potentem Protectricem & Opitulatricem foueris, quæ hoc ſignum geſtari ſanxit.

An non & vilis pannus erat Eliæ pallium? Hoc tamen tantam virtutem habuit, vt impoſitum humeris Eliſæi (quando eum vocauit ab aratro) mox velut vnxerit & conſecrarit Prophetam; ac poſtmodum abundantiori ſpiritu repleuit eumdem, dum è cœlo dimiſſum eſt in hæreditatis portionem. Sic & Chriſti fimbria virtutem habuit & Apoſtolorum ſemicinctia ac ſudaria; ita Deo diſponente in gratiam eorum qui fiduciam conciperent.

Audi & de Senuphio Mon. antiquitus. *Magnus Theodoſius cum hoſtibus pugnaturus eius preſentiam expetebat. At venire recuſans. Scapulare ſuum vnà cum baculo Imperatori tranſmiſit. Cum gratiarum actione acceptans hæc Imperator, primus inijt prælium, muniens caput ſuum ſuperhumerali, ſiue Scapulari, locò galeæ; baculo autem inſtar lanceæ manum armans. Sic ergò procedens cum fiducia, victoriæ palmam adeptus eſt, ne vno quidem de ſuis deſiderato.* Ita Metaphraſtes apud Surium 31. Ianuarij.

Notum etiam eſt de S. Raimundo Pennatortio, Ord. S. Dominici, quomodò ex Inſula Maioricenſi Barcinonam vſque ſuper fluctus maris ambularit, cappâ ſuper illis extensâ, & Scapulari in altum eleuato inſtar veli per baculum, cui inniti ſolebat: ita vt centum ſexaginta milliaria ſex horis confeciſſe dicatur, ac appuliſſe ſiccis veſtibus, populo ad tantum miraculum confluente, & veſtigia eius

exoſcu-

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

exoſculaute. Prætereo S. Franciſcum de Paula, qui Siciliæ fretũ, ſtrato ſuper illud pallio, inter Scillam & Charibdem pertranſijt, & illud quiete donavit quod antea turbulẽtiſſimũ & periculoſiſſimũ erat.

In his omnibus virtus Dei eminet, & quidem vltra modum ordinarium, ob fiduciam auctorum & divinam promiſſionem. At ſecundum modum ordinarium, promittente Virgine, poſſumus planè confidere, quòd ſi ſinceri eius cultores fuerimus, & in illius rei ſymbolum, benedictum Scapulare geſtaverimus, fore nobis illud Signum ſalutis, Tutelam in periculis, fœdus pacis. Quod ipſum multis poſſet exemplis demonſtrari.

Itaque cum Pſalmiſta dic Domino: *Salvum fac Filium ancillæ tuæ: Fac mecum ſignum in bonũ, vt uideãt qui oderunt me, & confundantur, quoniã tu adiuviſti me* Eſto Filius devotus Mariæ, hæc eſt enim Ancilla Domini, & ſalvus fies. Ecce tibi ſignum datur ab illa, & quidem ſignum in bonum, quo adiuveris, & confundantur hoſtes tui. Hoc ipſum eſt Scapulare cum pietate acceptum, cum fiducia conſervatum, cum devotione ſincera in finem vitæ ad tumulum vſque geſtatum. Explicemus particulariùs ſingula, quæ Beatiſſima Mater promiſit, dum Scapulare primitus tradidit in medio Angelorum, vt videamus quomodò ſit *Signum in bonum*.

*Pſal. 85.*

*In traditione Scapularis B. M. V. diverſa bona promiſit.*

Primò quidem dicit *Accipe Signum meæ Fraternitatis ſingulare* Maria enim dignatur, ſicut & Chriſtus, nos vocare Fratres ſuos; vt non ſolùm benevolentiam & affectum erga nos declaret, ſed etiam
1. intimam & coniunctiſſimam familiaritatem. Quare ei dicere meritò poſſumus quod olim Abraham dicebat Saræ: *Dic obſecro quòd Soror mea ſis, vt bene ſit mihi propter te & vivat anima mea in gratiã eius.* Equidem apud Deũ dicit Sororem noſtram, de genere noſtro ortam, vt efficaciter pro nobis intercedat, & bene ſit nobis propter ipſam, & vivamus in gratiam ipſius. Sicut enim Eſther pro ſuis Fratribus & popularibus ortis ex genere eodem Iſraelitico orabat Aſſuerum, ad internecionem ab eis avertendam, & gratiam Regis eis conciliandam? ita & Maria generis ſui non obliviſcitur, nec conſanguinitatis aut coniunctionis nobiſcum, cum ſit de ſtirpe Adæ communis noſtri parentis. Itaque hæc etiam illius eſt oratio: *Domine, ſi inveni gratiã coram oculis tuis, dona mihi animam meam pro qua rogo, & populum meum pro quo obſecro.* Ita, ô Maria beatiſſima, dic obſecro quòd ſoror noſtra ſis, vt bene ſit nobis in gratiam tui, quia ſignũ Fraternitatis tuæ piè geſtamus, honoramus, & in finem vſq; vitæ conſeruare geſſimus, vt affectum ergo te propẽſum iugiter excitemus, & ſit nobis ſignum in bonum, quo confidimus nos à te adiuvandos & conſolandos in omni afflictione noſtra.

*Gen. 18.*

*Eſther. 7.*

2. Secundò dicit, huic ſanctæ Fraternitatis ſigno adiunctum eſſe hoc privilegium, *vt in eo quis moriens, æternum non patiatur incendium.* Quod quidẽ ſano ſenſu intelligendum eſt: quia ſcilicet Virgo miſericordiſſima his qui huic Fraternitati adſcribuntur, & ſacrum Scapulare geſtantes, quæ muneris ſui ſunt, piè & ſtudioſè peragant, non deerit in vita, & in morte; vt eos eruat à morte æterna, & ignis æterni combuſtione. In ipſa enim pijs ſuis cliẽtulis & ſervulis impendit protectionem ſpecialem, & impetrat gratiæ auxilia, ut in peccatum mortale non cadant; vel ſi ceciderint, erigantur, & in illo non moriantur. Impetrat gratiam contritionis & confeſſionis peccantibus ex infirmitate aut ignorantia: impetrat gratiam perſeverantiæ his qui exempti ſunt à gravi peccato, vel mortali crimine. Quapropter inter miracula approbata per ſanctam inquiſitionem refertur de quodam quem Diabolus in peccato ſuffocare omni vi conatus eſt, vt impediret ipſius confeſſionem, id autem numquam potuit, ratione ſacri Scapularis quod geſtabat, & cui piè addictus erat. Illud etiam planè admirabile eſt, quod de quadam puella Virgini de Monte Carmelo devota recitatur, quam cùm iuvenes lubrici cõſtuprare conarentur, ſed ipſa eorum peſſimæ voluntati & conatui totis viribus reluctaretur, tandem in puteum præcipitem dederunt; at verò in aëre cælitus ſuſtentata hæſit per Virginis glorioſæ ſubſidium, donec adventarẽt, qui eam è profundo eruerent. Sic ipſa adiuta fuit ne peccato conſentiret, & ne mortem incurreret, & à Virgine conſolationem accepit. Quid ita? Quia ſignum bonum virgineæ protectionis Scapulare geſtabat, quo confundi debebant qui malum moliebantur eius virginitati & vitæ. Hoc igitur in ea veriificatum fuit: *Scapulis ſuis obumbrabit tibi, & ſub pennis eius ſperabis: Scuto circumdabit te veritas eius.* Veritas promiſſionis Mariæ manet, per Scapulare tamquam Scutum & Signum bonum circumdans ſuos, obumbrans & protegens quaſi ſcapulis ſuis ab inſidijs inimici tartarei. Vnde ſæpè dæmones auditi ſunt clamare quòd infernus mirum pateretur damnum ratione Virginei Scapularis.

*Quomodo Scapulare ab æterno præſerves incendio.*

*Pſal. 90.*

Tertiò adiungit Maria, quod Scapulare ſacrum, Fraternitatis ſuæ ſignum, *Signum ſit ſalutis, Salus in periculis.* Quod quidem generaliter intelligendum eſt tam de periculis animæ quàm corporis. vt ex dictis colligere licet. Multi enim ſuperarunt tentationes & pericula peccati, quibus anima periclitatur, ob fiduciam in Virginẽ, quam in eis renovabat geſtatio pia Scapularis benedicti. Multi etiam è periculis corporalibus ſunt eruti eâdem ratione Audi hic nonnulla exempla ex his quæ S. Inquiſitio examinauit.

*Quomodo Scapulare ſit ſignum &c.*

*Quidã Mercator Scapulare cum deuotione geſtare ſolitus, tamquã Inſigne, & Memoriale Beatiſſimæ Virginis, pedibus manibusq; colligatus in mare deiectus fuit. Apparuit autem ei viſibiliter B. Mater, & vincula eius diſrumpens, arreptâ manu in portum deduxit, & è naufragio clientẽ ſuum eripuit.* Verè Maria & Scapulare eius Signum eſt ſalutis, & ſalus in periculis, ſive in terris, ſive in mari, ſive in aëre, ſive in igne, & omnibus elementis ac locis. An non è pelago & tempeſtatibus multi per illud liberi eva-

*Exempl.*

ſerunt? An non de duobus legimus, quòd in ſubli-mi aëre innocenter ſuſpenſi, invocata B. Maria de Monte Carmelo, diſrupto quatuor in partes laqueo, per eam liberati ſint? Noluit illos perire laqueis in collum innocuum iniectis, qui in illo geſtabant ſacrum Scapulare, tamquam pretioſũ Collare Virginis, & Inſigne parthenium. An non & Neapoli contigit in quoſdam negotiatores numero viginti in platea publica congregatos fulmen cadere, atque ex illis quindecim ſubitò extinctos fuiſſe, præſervatis alijs quinque qui ſacrum Scapularis habitum geſtabant? Conſule libellum huiuſcè Sodalitij de Monte Carmelo, & multa ſimilia reperies. Namque & ipſa benedictio Scapularis hoc apprecatur, vt qui illud induerit, protegatur in periculis & corporis animæ, tam in mari, quam in terra, & alijs elementis, quæ nocere poſſunt homini in hac rerũ ſublunarium varietate & diſcrimine.

Quid vltra? Sæpius ipſum Scapulare in ignem miſſum valuit extinguere incendium, vt & hic virtus pietatis & fiduciæ in Virginem eluceſceret. Sæpius mulieres in partu liberatæ ſunt aſſumpto cum fiducia Scapulari ſacro, & invocata Beatiſſima illa Matre quæ peperit Filium ſine dolore. Quid quòd Mulier mortua virtute Scapularis ei applicati mox vitam recepiſſe referatur in Hiſpania; Ita refert R. P. Alphonſus à Matre Dei inter miracula quæ virtute Sacri huius habitus in Hiſpanijs geſta rememorat.

An non ergò merito Maria tradens primitus Scapulare de eo dixit, quòd *Signum ſit ſalutis & ſalus in periculis*, quandoquidem per illud tot mira exinde patrata ſunt, quæ longè ſuperant ea quæ per pallium Eliæ Eliſæus effecit? Dicere itaque poſſumus hic idem quod olim Eliſæus in ſpiritu fervoris & zeli dividens Iordanis aquas: *Vbi eſt Deus Eliæ etiam nunc*: Dicamus, inquam, cum ſpiritu & fiducia: *Vbi eſt Deus Mariæ etiam nunc*; Abſque dubio per pallium Mariæ poterimus omnia impedimenta ſalutis nobis in hac via noſtra obiecta fiducialiter pertranſire, omnia pericula ſuperare.

*4. Reg. 2.*

Quartò adiecit Maria. Scapulare ſuum *Signum eſſe pacis & fœderis*. Pactum ſcilicet quoddam & fœdus particulare init nobiſcum Beata Virgo, ad impetrandas nobis gratias & dona cæleſtia, ſi in eius obſequio perſiſtamus; & ipſa ex parte ſua non deerit, ſi nos non defuerimus. Atque in confirmationem huius fœderis nobis tradit ſacrum Scapulare, vt ſit ſymbolum ſpecialis benevolentiæ. Sic & Reges & Principes his quos ſpeciali proſequuntur favore ſymbolum aliquod tradunt, quod in decus cedat & ornamentum, ac affectus & conſanguinitatis ſit ſignum. Sic Rex Hiſpaniæ ſuis Magnatibus in ſignum dilectionis dat Vellus aureum; Rex Angliæ Subſignaculum & Periſcelidem, vulgò *le Iartier*, Rex Galliæ alia dat ſigna in decus Ordini Spiritus ſancti: *Conchas* geſtant & alij. vulgò *les Eſcarboueles*. Regina autem cælorum & Angelorum Maria, in ſpecialis affectus, fœderis & conſanguinitatis pignus, vult nos geſtare hunc habitum ſacrum, qui veſtis ſacratiſſimæ, qua veſtivit Filium ſuum (eum circumdans humanitate) eſt ſignum myſticum, & propterea à nobis honorandum. Qui illud contempſerit non erit immunis à divina vltione, vt quondam oſtenſum fuit in quadam muliere, quæ vbi abieciſſet à ſe hunc habitũ ſacrum, mox lepram incurrit, ita eius temeritatem & contemptum plectente Deo. De illa & ſimilibus verum eſt illud: *Auerterunt ſcapulam recedentes*.

*4. Scapulare eſt ſymbolum ſpecialis benevolentiæ.*

Et hoc quoque aduertendum hic, non ſufficere ſymbolum hoc ſacrum geſtare ex arida conſuetudine, ſine animi pia affectione, nihilque obſequij præſtando ſecundum conſtitutiones huius Sodalitij; imo vitijs inhærendo & impuram vitam ſectando. Hoc, inquam, eſt potius illud contaminare, & in ſignum ſibi maioris damnationis convertere, vt ſupra novimus. Olim Elpidophorus à fide deficiens arguebatur graviſſimè à Muritta Diacono, qui veſtem candidam qua in baptiſmo Elpidophorus vſus fuerat apud ſe conſervatam oſtentans & ventilans, inclamabat: *Hæ ſunt linteamina quæ te accuſabunt, dum maieſtas venerit iudicantis, quæ cuſtodiuit diligentia mea ad teſtimonium tuæ perditionis, ad demergendum, te in abyſſo putei ſulphurantis. Hæc veſtis te acriùs perſequetur, cùm flãmantem gehennam ceperis poſſidere, quia induiſti maledictionem ſicut veſtimentum.* Non abſimiliter dicere poſſumus de nonnullis, quod veſtis hæc Scapularis ſacrati eos accuſabit apud iudicem, eoſque gravius perſequetur, & cumulum damnationis cedet, ſi vita impura illud conſpurcarint, & quodammodo aſpernati fuerint, ac ſic planè Virgini ingratos ſe reddiderint.

*Zach. 7. Sola geſtatio Scapularis nõ ſufficit.*

*Victor Vticen. de perſecut. Vandal.*

Poſtremo adijciamus, hoc eſt verum ſignum, quo non ſolum nobis auxiliũ poſſumus conciliare, ſed & alijs, tum viventibus dum defunctis propter communicationem ſpecialem meritorum, & ſatisfactionum in Sodalitio Carmeli. Itaque ſi quis dicat cum Raab. *Detis mihi verũ ſignum, vt ſalvetis Patrem meũ & Matrem, Fratres & ſorores, &c* Reſpondere poſſumus: Ecce verum ſignum, quo Fratres ſorores, Matrem & Patrem, omneſque vel propinquitate vel cognatione Chriſtiana coniunctos ad ſalutem promovere potes. Nam ſiue Sacerdotes cum Scapulari celebrantes, ſive Confratres huius Sodalitij communicantes, poſſunt applicare indulgentiam animabus purgatorij, & eas eruere è pænis & ſalvare, Certè S. Thereſa multas habuit revelationes de animabus plurimis è purgatorio liberatis ratione Scapularis ſacri Oſtenditque ſæpè & alijs Beatiſſima Maria, quomodo per Scapulare via multis in cælum aperiretur. Ac notum eſt quomodo ipſa aperuerit Ioanni XXII. Pontifici, veſte Carmelitana induta, monens vt approbaret indulgentiam, quam vocant Sabbathinam pro animarum Purgatorij liberatione, de qua alibi.

*Ioſue. 2.*

LEC-

## Lectio XII.

*Pro feſto Roſarii.*

Thema *Benedixit te Deus in virtute ſua, quia per te ad nihilum redegit inimicos noſtros.* Iudith. 13.

*Argumẽtum Referuntur hic variæ victoriæ per B. M. V. obtẽtæ.*

SApiens in ſuis Proverbijs poſtquam de muliere forti & magnanimâ multa præclarè dixiſſet, deſcribens ſpeciali Elogio heroica eius geſta: addit haud oblivioni tradendam eſſe, nec virtutem eius in abſcondito debere latere, ſed publicè eius encomia eſſe decantanda: *Laudent eã in portis opera eius*, inquit ipſe. Nempè in portis publicæ Congregationes fiebant, ibique veri divini Præcones vitia arguebant, virtutem laudabant, & virtute præditos extollebant: quod ipſum merebatur non ſolum mulier illa generoſa, ſed & virtutis eius ac prudentiæ imitatrices viragines.

Propterea cùm Iudith, inter mulieres fortes meritò recenſita, Holopherni caput detruncaſſet, & coram populo caput illud conopæo cruento involutum exhibuiſſet, in eius laudes erupit tota multitudo, in portis congregata cum Presbyteris; ac inter cætera ei acclamatum eſt illud *Benedixit te Dominus in virtute ſua, quia per te ad nihilum redegit inimicos noſtros.* Nec ſolum tunc eius laudes dictæ ſunt, ſed etiam quotannis celebrabatur victoria Iudith, & dies vocabatur Cambyſa à Rege Cambyſe, qui alio nomine Nabuchodonoſor dicebatur, vt tradit Hiſtoria ſcholaſtica: quia illa dies ei fuerat ad confuſionem, eius nomine vocitata fuit. *Iudith. 13*

*Iudith gerit typum B. M. V.*

Cum verò Iudith Virginis Mariæ figuram geſſerit in iſto ſtratagemate, fueritque ibi typus victoriæ quam reportavit contra hoſtem humani generis, verè de ea pronunciamus: *Benedixit te Deus, qui per te ad nihilum deduxit inimicos noſtros;* quandoquidem & ipſa varias ob victorias publicum hoc Elogium honorificum obtinuerit, *S. Maria de victoria.* Explicemus id particularius.

*Victoria B. M. V. variæ*

1\. Primo quidem, quantum ad ſuam ſingularem perſonam ita Satanam vicit, vt nullæ eius vires, & aſſultus, vel inſidiæ in eam quicquam potuerint. Non fuit libera Maria à tentationionibus, ſicut nec Filius eius, à Satana tentatus de gula, ambitione, ſuperbia: ſed ita ſcuto gratiæ circumvallata fuit, vt nec minimum lædere eam valuerit. Inſidiatus eſt calcaneo eius, ſed nec minimi peccati noxam vel morſum infligere potens fuit. Quocirca de ea ſic pronunciat S. Auguſtinus. *Cùm de peccatis agitur, nullã prorſus habere volo quæſtionẽ de Virgine Matre: inde enim ſcimus quòd plus gratiæ ei collatũ eſt ad vincendum omni ex parte peccatũ, quia eũ concipere meruit & parere, quẽ ſcimus nullũ habuiſſe peccatũ.* Ita ipſa Victoria hæc propria omnino eſt Virgini & Filio eius, viciſſe omni ex parte peccatum, quia omnes Sancti clamant cum S. Ioanne: *Si dixerimus quoniã peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus.* Licet enim contigat quoſdam in aliquo genere peccati numquam per totam vitam deliquiſſe, ſicut de S. Thoma Aquinate memoriæ proditum eſt, numquam puram ſuam animam inanis gloriæ levi peccato infeciſſe: tamen non contigit quin vniverſim aliquo veniali alicuius generis ſint aſperſi. Cùius rei rationem ad duo revocat S Thomas, ad infirmitatem carnis, ad obſcuritatem mentis. Ex primo enim peccato obſcuratus eſt intellectus, neſciens ſæpè quid expediat vel plenè quod expedit nõ advertens, voluntas etiã facta eſt curva ad malũ, & pars inferior repugnat rationi, vt non contingat ſic vigilare inter tot pericula, vt numquam hoſtis vel leviter lædat. Quod S. Leo Papa his expreſſit verbis. *Nec facile provenit cuiquã tam incruenta victoria ut inter multos hoſtes frequentesq; conflictus, etiãſi ſit liber à morte, ſit quoq; immunis à vulnere.* Sola ergo Virgo noſtra potita eſt pleniſſima victoriâ, ex Dei ſpeciali dono, auxilio, & privilegio. Propterea antonomaſtciè hoc titulo poteſt inſigniri, *S. Maria de victoria.*

*De natura & gratia. c. 36.* — *1. Ioan. 1.* — *1i2·q.10is a.8.* — *Quæ mala ex primo peccato prouenerint.* — *Serm. 4. de ieiunio*

*2. B. M. V. pro nobis hoſtem vicit.*

Secundo non tantum pro ſe vicit hoſtem. ſed & pro nobis, quia de ſemine ſumus mulieris illius fortis de qua in capite libri ſcriptum legimus, & ad tartareum ſerpentem pronunciatum: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, inter ſemen tuum & ſemen illius. Ipſa conteret caput tuũ.* Nempè ſicut ſerpens per mulierem poteſtatem acquiſiuit in totum genus humanum, ſua illud tyrannide & captivitate conſtringens: Sic Deus voluit per Mulierem illud eruere, & reddere libertati ac gratiæ: Voluit vt ſicut vna mulier fecit confuſionem in domo Nabuchodonoſoris Regis: ſic & vna mulier confuſionem faceret in domo tenebrarum Principis, vt de vtraque diceretur: *Benedixit te Deus in virtute ſua, quia per te ad nihilum redegit inimicos noſtros.* Hanc confuſionẽ Satan non poteſt digerere, quod à muliere victus dicatur: ſicut nec Abimelech, quod fragmine molæ, mulieris manu in ſuum caput intorto, contritus iaceret. Hinc dicebat: *Interfice me,* ô mi armiger *ne dicatur quòd à muliere interfectus ſim.* Certè SS: Patres dum eos aggrederetur Satan in tentationibus, ſolebant ei improperare quod à fæmina victus fuerit; ſicque confuſionem ei facientes, retrocedere cogebant. Rectè ergò & ob id titulum ſortitur *S. Maria de victoria;* ideoque & à nobis ſub hoc nomine colitur & celebratur, quia quicquid victoriæ ſpiritualis nobis contingit luctando contra Dæmonem, ſive contra vitia & peccata, id Mariæ adſcribendum, ſicut & eius Filio Ieſu Chriſto; ita vt dicere poſſimus: *Gratias Deo qui dedit nobis victoriam per Ieſum Chriſtum,* & per Mariam Matrem eius.

*Gen. 3.* — *Iudith. 13* — *Iudith 9* — *1. Cor. 15.*

*3. Multæ illuſtres Victoriæ per B. M. V. Eccleſiæ datæ.*

Tertiò multæ ſingulares & illuſtris victoriæ eius auxilio contigerunt Eccleſiæ adverſus hæreticos vel infideles, ob quas merito hoc nomine eſt inſignita, S. Maria De Victoria, ob quas etiam ei decantamus: *Benedixit te Deus, quia per te ad nihilum re-*

*lum redegit inimicos noſtros.* Semper impugnatur regnum Eccleſiæ, cui iure hæreditario debetur ſceptrum. Hæreſis vult vt Regina ſedere & dominari, ideoque ad Calicem ſuum aureum, ſed plenum veneno mortifero, invitat Reges terræ, poſtiferâque ſuâ doctrina eos dementat, vt pugnent cōtra Eccleſiam Dei, & regnum eius evertant. Sed protectio Virginis Mariæ fortior eſt omnibus eorum viribus & aſſultibus, vt ſæpiſſimè patuit. Longumque foret recenſere victorias eius præſidio reportatas, pauca tamen hic rememoranda ſunt hac de re noſtro opportuna propoſito. Audi de Albigenſibus.

*Contra Albigenſes.*

Tempore Innocentij III. anno 1200. ita in valuerat Hæreſis Albigenſium, vt magnam Europæ partem conſpurcaſſet, & peſtilenti doctrina repleſſet ex opinionibus Arianorum Manichæorum. Waldenſium, & alijs erroribus conflata. Orta fuerat hæreſis iſta circa Toloſam, invaſeratque Galliam, ac deinde Italiam & fines Hiſpaniæ. Dementarat quemdam Raymundum Comitem Tholoſanum, cum Comite de Foix, & Rege Aragoniæ eoque inſaniæ res progreſſa erat, vt in Eccleſia Tholoſana fontes baptiſmales fœdarent humanis ſordibus, & linteis altaris dedecoroſas partes tergerent, fornicarenturque ſuper Aris, ac imagines Crucifixi per plateas cum illuſione & blaſphemijs pertraherent. Tunc beatiſſima Virgo auxilium ſuum volens impendere apparuit B. Lutgardi, monens vt per ſeptennium ieiunaret ad placandam iram Dei, ingemiſcens quòd iterum crucifigeretur Filius eius, & ſanguis teſtamenti pollutus duceretur, ac conculcaretur. Tunc & ipſa ſuſcitavit Comitem de Montfort; ipſeq; cum exiguo exercitu obviam ivit Regi Aragoniæ, qui maximum conflarat exercitum, eumque fugavit. Tunc etiam elegit S. Dominicum qui cum admirabili prædicationum fervore docens modum orandi per Roſarium, erigienſque Congregationes & Confraternitates Virgini Mariæ devotas, mirè contra hæreſes prævaluit: & vltra centum millia ab errore ad viam veritatis reduxit, ab hæreſi ad Eccleſiæ gremium revocavit. Potuit ergò dicere tandem Dominicus: *Benedixit te Deus in virtute ſua, quia per te ad nihilum redegit inimicos noſtros.* Potuit idē dicere dictus Comes fugato exercitu potente hoſtiū cū prava & invalida, vt apparebat, manu. Quod quidē fecit virtute Mariæ, quia & in ſomno præviderat ſe centum & quinquaginta tormentis bellicis everſurum contrarias vires, quo quidem ſignificabatur: ſi tormenta bellica ſibi deeſſent, loco illorum fore Pſalterium Virginis centum & quinquaginta Salutationibus conſtans, in cuius fide & virtute hoſtes poſſet conterere. Nempè ſicut tēpore Moyſis plus valuerunt eius manus in cælum extenſæ, quàm arma Ioſue bellantis: Sic humiles ad Chriſtū & Virginem eius Matrem preces plus valuere ad exterminationem hæreſeos, quam arma in quibus confidunt Principes. Plus valuit ſonitus tubæ per S. Dominicum datus, quàm tota acies hoſtium bellantium: ſicut & olim fractio lagenarum cum tubis inſonantibus contra aciem Madianitarum. Sed de hodierna dicamus feſtivitate.

*Contra Mahometarum*

Hunc certè feſtivum diem inſtituit Eccleſia in honorem Virginis Deiparæ, & vocavit *Feſtum S. Mariæ de Victoria*, ob miraculoſam victoriam contra infideles Mahometanos, in ſinu maris dicto de Corintho, ſive de Lepantho anno 1671. Tunc enim Pio V. vrgente, & Hiſpaniarum Rege cum Venetis confœderato, exercitus Chriſtianus, licet inferior longè foret viribus & navibus, mirabiliter triumphavit ſeptima Octobris die, quæ Dominica erat: quo tempore inſtabant precibus & proceſſionibus publicis Confratres Roſarij, Virgini Mariæ devoti, cauſam hanc Eccleſiæ contra oppreſſionem infidelium ſpecialiter Matri ſuæ commendantes. Nā Pius Quintus, tunc ſedens in Cathedra Petri, per vniverſum orbem Chriſtianum, negotium iſtud commendarat ſacris Sodalitijs, nec deerat ipſe piis precibus & lacrymis, inſtar Iacob colluctans cum Deo, donec Aurora ſurgente, id eſt Maria adiuvante vicit. Quare hoc ei Elogium adſcriptum eſt:

*Hodierna feſtivitas vnde duxerit originem.*

*Quinque fuere* Pij *poſt fidi tempora Petri;*
*Sed quintus* Felix *dicitur, atque* Pius.
*Nam* Pius, *Hæreticis charum defendit Ovile:*
Felix, *cùm Turcis maxima bella gerit.*
*O pia proſperitas, pietas ô proſpera, quæ ſic*
*Commiſſum duplici ſervat ab hoſte gregem.*

Certè multis vitæ ſanctitate præſtantibus revelatum fuit Virginis auxilio hanc victoriam obtentam fuiſſe, ob dictas preces & proceſſiones; ita vt ipſa Dux belli, *aſſimilata equitatui Dei*, ſubmerſerit currus Pharaonis, ſive Naves hoſtis populi Dei. Quocirca Gregorius in memoriam huius cæleſtis auxilij ſtatuit, vt feſtum Roſarij quod celebrari ſolitum erat die 25. Martij celebraretur prima Dominica Octobris, in Eccleſijs omnibus in quibus Confraternitates ſunt erectæ. His diebus videre eſſet ipſum Pōtificem cum Cardinalibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Principibus & Optimatibus, Eccleſias viſitare & proceſſionibus intereſſe, ac vno ore & animo collaudare S. *Mariam de Victoria*, eique decantare: *Benedixit te Deus in virtute ſua, quia per te ad nihilum redegit inimicos noſtros.* Prætereo antiquiores hiſtorias & victorias, quibus Maria Virgo hunc Titulum promereri potuit. Nam Narſeti Duci Iuſtiniani Imp. conceſſit victorias præpotentes contra Gothos numeroſiſſimos, ita vt trucidato eorum exercitu Italiam à tyrannide ipſorum liberarit anno Domini 552. De qua re agens Euagrius ævi illius Hiſtoricus, ſic ait: *Commemoratum eſt ab his qui cum Narſete, dum precibus & aliis pietatis officiis diuinum Numen placaret, S. Virginem Deiparam ei apparuiſſe, planèque tempus præſcripſiſſe, quo hoſtibus bellum gereret, atque vt non priùs ad prælium ſe accingeret, quàm cælitus ſignum acciperet.* Ita Euagr. lib. 4. cap. 26. hiſtoriæ ſuæ.

*Contra Gothos*

Hera-

*Contra Perſas.*

Heraclitus quoque Imp. rebus imperij deſperatis, ſpem poſt Deum in Virgine poſuit, ac eius ope Chofrœm Regem Perſarum profligavit, & crucem Domini recepit, an 626. vt teſtatur Paulus Diaconus, lib. 18 hiſtor & alij.

*Cõtra Saracenos.*

Pelagius etiamprimus Hiſpan. Rex. Saracenos invocata Virginis ope vicit, capto eorum Duce Aleman, & cæſis merſiſque octoginta hoſtium millibus. Teſtis eſt Lucas Thudenſis, Mariana, & alij Hiſpanorum Hiſtorici.

*Hieroſolyma expugnat a meritò B. M. V.*

Denique Chriſtiani terram ſanctam ductu Virginis infidelibus extorſerunt, cum mandatum eſſet omnibus, vt diebus ſingulis Sabbathi Officium B. Virginis recitarent. Nec irritæ fuere preces ac vota; nam Duce Godefrido Bullonio poſt varia cum Saracenis prælia, Hieroſolymam expugnarunt anno 1099? Teſtis eſt Tytius in bello ſacro, & ex eo Baronius.

An non ob hæc omnia meritò inſignitur Beatiſſima Virgo, *S. Maria de Victoria*, An non hi omnes & innumeri alij eamdem ob cauſam iure in huius Virginis laudem dicere potuerunt. *Benedixit te Deus in virtute ſua, quia per te ad nihilũ redegit inimicos noſtros.* Omnes igitur has victorias poſſumus in hac die rememorare, & gratias Deo agere, qui toties dedit nobis victoriam per Ieſum Chriſtum & Matrem eius. Certè vult Deus vt ſimus memores beneficiorum Vnde Paſcha inſtitutt in memoriam tranſitus maris rubri : Pentecoſten in memoriam legis datæ in Sinai, Feſtum tabernaculorum in memoriam manſionum in deſerto, vbi aluerat plebem per 40. annos pane Cæli. Sic & ſeruata eſt Arca cum Lege. Virga, & Manna, vt numquam obliviſceretur populus eductionis ſuæ de domo ſervitutis in manu forti, totque beneficiorum in itinere ſuo. Similem igitur ob cauſam voluit Summus Pontifex, vt feſto particulari honoraremus diem illum beneficum, quo victoriam Chiiſtianus populus contra infideles tulit, cum periculum toti immineret Chriſtanitati, quando contr ivit capita draconum in aquis.

*Beneficiorum Dei iugum Deus voluit eſſe memoriã*

Denique concludamus, & dicamus, quòd meritò intituletur Beatiſſima Virgo, *Sancta Maria de Victoria*, quodque ei iure inclametur : *Benedixit te Deus, quia per te ad nihilum redegit inimicos noſtros.* quia Chriſtianis finalis per ipſam contingit victoria & corona Nempe in fine fortiſſimum nobis incumbit bellum, in quo Diabolus omnes ſuas vires impendit, cum ſuis poteſtatibus & legionibus tartareis. Nihil tunc non molitur, vt per ſuggeſtiones peſſimas, ſive infidelitatis, ſive deſperationis, ſive præſumptionis profliget hominem. Tunc verum eſt illud. *Deſcendit Diabolus ad vos, habens magnam iram, ſciens quia modicum tempus habet.* Atq; tunc inſtar Laban perſequitur Iacob revertentẽ in terram Patrum ſuorũ, immò inſtar Pharaonis crudelius tractat exeuntes de Ægypto in terram promiſſionis· Quia tunc agitur de æternitate victoriæ, ſive de æternitatis victoria, magna opus eſt colluctatione : vnde & agonizantes dicuntur qui tunc cum morte & inferis colluctantur. Quid ergò remedij inter tot inſultus, niſi ad Deiparam recurras cum fiducia, quæ hoſtibus terribilis eſt vt caſtrorum acies ordinata; Hæc certò præſto eſt tunc ſibi devotis, vt eis impetret perſeverantiam, victoriam coronam, vt tenebras diſpellat, iterque paret tutum ad videndum Ieſum. Hinc inclamat Eccleſia: *Maria Mater gratiæ, Mater Miſericordiæ, tu nos ab hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe.* Repetamus ergò ei grato animo, Benedicta tu Mater noſtra, quę hoſtem viciſti ne vnqnam per peccatum noceret tibi: Benedicta tu, quæ illum viciſti pro nobis, vt ab eius captivitate redderemur liberi: Benedictus tu, quæ tot victorias contra infideles & hæreticos Eccleſiæ tribuiſti: Benedicta tu, & millies benedîcta, quia omnis noſtra victoria contra peccatum & infernum quotidie per te provenit, ſperamusque per te æternam victoriam & coronam.

*Apoc. 12.*

---

## LECTIO IX.

Thema. *Quaſi Roſa ſuper rivos aquarum fructificate, & date odorem.* Eccli. 39.

*Commẽdatur hic cultus Roſarii & oſtenditur, quàm grata ſit Chriſto & Deiparæ Virgini Diuerſi ſancti diuerſa ſymbola à B. M. V. acceperunt S. Franciſcus S. Bernardus.*

SAnctiſſima Virgo Maria plurima dedit ſymbola ſpecialis ſui amoris dilectoribus ſuis, vt magis magiſque cultum ſuum propagarent, & alios ad eamdem dilectionem illicerent. Nonnullis id exemplis illuſtremus.

Cum S. Franciſcus Ordinem ſuum inſtitueret, & in Eccleſia B. Mariæ Angelorum ſpiritum perfectionis hauſiſſet, impetravit ei Deipara Maria à Filio indulgentiam plenariam pro viſitantibus hanc Eccleſiam, vt ſic & virgineus cultus, & eius Ordo propagaretur. Simul autem procurauit ei duodecim Roſas albas, & totidem rubeas in media hyeme; quas præſentaret Supremo Pontifici, vt non dubitaret Ordinem hunc recens inſtitutum, qui ex duodecim Fratribus conſtituebatur, è Cælo eſſe, ac per candorem virginitatis ruboremque charitatis Deo placere.

*S. Chryſo. Fulb. &c. S. Hubert &c.*

Sic quoque S. Bernardo, caſtiſſimo ſuo dilectori lac candidum in os fudit ex mamillis ſuis, vt dulcedine ſuæ pietatis illum impleret, quam & in alios refunderet. Quod ipſum S. Chyſoſtomo, S. Fulberto, B. Henrico Suſoni contigiſſe nonnulli memorant, idque eamdem ob cauſam, ob pietatẽ ſcilicet ſingularem erga hanc Virginem Deiparam, quæ ideo eos voluit eſſe Filij ſui velut collactaneos. Vid Bonart. in 24 Eccli.

Poſſem & hic repetere, quomodo ipſa quoque in teſſeram affectus, S Huberto Stolam illam prodigijs plenam procurarit, quæ à nongentis annis non imminuitur. Quomodò etiam S. Ildephonſo procurarit cælitus Caſulam, quâ Feſta virginea celebraret, & erga Virginem affectum omnibus admirabilem redderet, ac commendaret.

*S. Domi*

Sed vt propiùs ad propoſitum accedam, illud hic

*…nicus cultum Roſarii à B.V.M. accepit.*

ſpecialiter tememorandum dico, quomodò B. Dominico Roſarij cultum tradiderit: vt ipſe illud velut Vexillum erigeret, ſub quo congregarentur devoti eius ſervi: imò, vt eſſet velut Baltheus ſpecialis & virgineus, (quã vulgò, *La Liurèe de la Vierge* nominaremus) quo agnoſcerẽtur hi ſervi & milites Parthenij. Certè per illud millia multa cõvertit, quia potens eſt Deus per illos lapillos filios Abrahæ ſuſcitare. Per illud quaſi per Sagenã ampliſſimam in mare miſſam multos piſces ſelectos ad littus adduxit. Per illud contra Dæmones & Infernum pugnavit, quia hæc ſunt ſigna & *arma militiæ noſtræ*, quibus hoſtes illi terrẽtur & vincuntur? *arma lucis*, quibus diſpelluntur *Poteſtas tenebrarum.*

*Exemplum memorabile.*

Memorabile eſt quod hac de re legimus in vita S. Dominici, Annunciabat ipſe hæc myſteria Roſarij magno fervore & zelo: quidam autem hæreticus Albigenſis varijs calumnijs ei obſiſtebat, imò ſpiritu ſatanico publicè concionanti auſus eſt contradicere. Iuſto autem Dei judicio factum eſt, vt à Dæmonibus poſſideretur; adeo vt dentibus veſtes dilaceraret, funus diſrumperet, ideoque catenis conſtringere eum oportuit. Amici miſerti eius. adduxere eum ad S. Dominicum poſt concionem, coram vniverſa plebe, quæ excedere credebatur duodecim millia, deprecantes vt & ipſe eius miſereri dignetur. Per virtutem igitur Roſarij adiuravit Dæmones, vt ad tres quæſtiones reſponderent. 1. Cur hunc hominem ingreſſi; 2. Quot numero? 3. An quæ de virtute Roſarij doceret, vera forent? Ad has interrogationes eiulabant obnitentes, nec tamen reluctari valuerunt, divino premente eos imperio. Ad primum ergo dixere cauſam fuiſſe irreverentiam in Matrem Dei, & incredulitatem, qua obſtiterat Dominici concionibus, Ad ſecundum dixere numerum eſſe quindecim millium, eò quod Roſario obſtitiſſet quindecim myſteria complectenti, ſe tamen invitos ingreſſos, cùm id ſcirent ad ſuam eſſe confuſionem. Ad tertium coacti ſunt reſpondere, veriſſima eſſe quæ de Roſario docebat, ſeque illud maximè odiſſe, quia B. Virgo per illud impediſſet frequenter, ne turbarent Eccleſiam. Poſt multa alia ibi peracta, Dominicus hortatus eſt plebem vt clara voce ſinguli tractim Roſarium recitarent. Sicque cum ipſe primus inchoaret, ad ſingulas ſalutationes Angelicas multitudo copioſa Dæmonum in ſpeciem carbonum ardentium ex corpore miſeri hæretici erumpebat: donec totus incolumis evaſit, multique inde hæretici ſunt converſi; *Vide vitam S. Dominici ſcriptam per quatuor Scriptores ſui Ordinis.*

*S. Alanus à Rupe Roſarii reſtaurator.*

Non ſolum S. Dominico velut primævo Inſtitutori Roſarij illud in ſymbolum affectus ſpecialis tradidit Virgo Deipara, & docuit methodum ſui Pſalterij ſacri, ſed etiam B. Alano de Rupe, eiuſdem Ordinis alumno, & S. Theol. Doctori tamquam Roſarij Reſtauratori ſeſe exhibuit benevolentiſſimam varijs ſignis externis. Ipſa Alanum elegerat, vt Roſario ſuo, cuius defluxerant Roſæ, fervorque intepuerat per ſanctas exhortationes vigorem priſtinum redderet. Quapropter & hunc in Sponſum aſſumens, ei amoris arctiſſimi arrhas, donavit. Annulũ ſcilicet è cincineis capitis ſui compoſitum, & Roſarium vnum quod eius collo impoſuit. Quibus ille amoris virginei teſſeris recreatus, per quindecim annos indefeſſo labore cultum Virginis per Roſarium in Belgio, Gallia Germania promovit. Atque etiam lactis copiam in os orantis Virginem fudiſſe, ſicut & S. Bernardo, traditur. Quapropter cum novellus foret Deiparæ Sponſus, ſicut ipſe ſeipſum nominat tacitè in libro de Roſario ſeu Pſalterio Virginis, ipſa die Nativitatis Spõſæ ſuæ in devotione perſeverans ex hac luce evocatus eſt ad cæleſtem lucem. Atque æternitati feliciter renatus mercedem accepit à Deipara, ad cuius cultum innumera millia zelo ardentiſſimo traduxerat.

*Roſariũ compendiosè memorat præcipua ſalutis myſteria.*

Nemo igitur pium hunc cultum contemnat, niſi & Virginem & Filium eius Ieſum Chriſtum contemnere velit. Rememorat enim Roſarium compendioſè præcipua Chriſtianæ, ſalutis myſteria, quæ nominati ſolẽt *Myſteria gaudioſa, doloroſa, glorioſa.* Roſarium quoque ex Scriptura ſacra compoſitum eſt, quia continet orationem Dominicam ab ipſo Chriſto editam, & Salutationem Angelicam à Trinitate dictatã, ab Angelo partim, partim à S. Elizabetha, completivè autem ab Eccleſia pronunciatam, & iam ab initio Chriſtianæ Religionis vſurpatam, ac à Concilijs generalibus confirmatam; ita vt ex ore infantium laus Mariæ reſultet & in vniverſo Orbe per hanc Salutationem Angelicam.

*Numerũ in oratione myſticum eſſe oſtenditur exemplis. Pſ. 118. 3. Reg. 18.*

Quid ergo obſtrepere hic pergunt hæretici malevoli, niſi quia fortè oderunt verba Angeli lucis, excæcati ab Angelo tenebratum? Nec dicant ſe hoc reprobare, quod per numeros Deum colimus, illiſque nos adſtringimus. Notum eſt enim ex ſacris litteris ſæpe numerum in oratione myſticum eſſe. An nõ dicit Rex & Propheta: *Septies in die laudem dixi tibi*; An non ſepties orat Elias in genua curvatus, & ſepties mittit puerum ſuum, vt reſpiciat circa mare ſi fortè pluviæ ſignum advertere valeat; An non ter in die orat Daniel apertis feneſtris, faciem vertens erga Ieruſalem, licet in Babylone ageret; An non Chriſtus tertiò eamdem orationem promit in horto, quaſi fundamentum quoddam initians huic Roſario? Meritò ergo in memoriam quindecim primariorum myſteriorũ ſalutis noſtræ decies & quinquies repetimus Orationem Dominicam. Meritò adijcimus centum quinquaginta Salutationes Angelicas, vt Pſalterium quoddam breve & iucundum Virgini Deiparæ perſolvamus, ſicut & Davidicum Pſalterium ex centum quinquaginta Pſalmis conſtituitur. Nihil hic ſuperſtitionis, omnia plena ſunt fidei & pietatis. In ſuperbia & vanitate ſenſus ſui cenſetur ambulare, qui hunc orandi modum aſpernantur, quẽ Deus inſpiravit, & per viros ſanctiſſimos tradi…

*Roſarium breve quoddam Pſalterium B. M. V.*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

didit, non ſolùm pro paruulis & idiotis, ſed etiam pro magnis & ſapientibus; quia in illo latet ſuccus deuotionis & diuinæ ſuauitatis refundendus in eos, qui cum ſinceritate & ſimplicitate cordis illum amplectuntur.

Hinc cernimus omnes viros Religioſos, doctrinaque & pietate excellentiſſimos, Roſarium aut Coronam Virginis geſtare, recitare, commendare. Nec ſapere ad ſobrietatem cenſendi ſunt, qui Roſarij Virginei recitationem exiſtimant ſimplicitatem, multò minus qui irrident vt fatuitatem. Sed ſicut per ignorantiam piſcatorum Deus mundi ſapientiam confudit, per maxillam aſinæ aciem Philiſtinorum euertit, per lampades & tubas exercitum Madianitarum vicit. Ægyptum per muſcas, Pharaonem per Virgam ſubjugauit, Goliat ſtrauit per lapidem & fundam: ita dicamus quod per lapillos ſacrati Roſarij potens ſit euertere Dæmonis potentiam, quando cum pietate vertuntur in caput eius ſuperbum. Nam ſalutationes Angelicæ pio corde & ore depromptæ, tot ſunt lapilli, qui Statuam Nabuchodonoſoris, hoc eſt, ſuperbiam Dæmonis, poſſunt confundere. Tot ſunt claui, qui caput Siſaræ valent perfodere.

*Lapilli roſarij quā ſint potentes apud Deum.*

Pſalterium iſtud, in quo laudes Chriſti ac Matris eius reſonant cum ſuaui melodia (dum ex pijs præcordijs rememorantur hic eorum præconia, per decades quaſi per decem chordas in Pſalterio decachordo) non minorem virtutem habet quàm Cythara Dauidis ad expellendum Dæmonium, quod inſtar Saulis nos vexare præſumit. Suggeſtiones .n. eius malignas & praua conſilia diſſipat vel ſolum Mariæ nomen piè inuocatum. Quapropter in reuelationibus S. Brigittæ (teſte Carthuſiano de laud. Virg. c. vlt.) dicitur B. Virgo ei apparuiſſe & dixiſſe: *Audi quantum Filius meus nomen meum honorat. Angeli dum illud audiunt, gaudent, & gratias agũt, quod per me & mecum talem gratiam fecit. Qui in Purgatorio ſunt, gaudent ſicut æger in lecto, audito verbo ſolatij. Angeli etiam boni audito hoc nomine iuſtis magis propinquant, & de eorum lætantur profectu, quibus ſunt ad cuſtodiam deputati. Omnes quoque Dæmones verentur hoc nomen, & illo audito fugiunt.* Hæc Maria Brigittæ: Quod etiam experientia docet, vt oſtendimus exemplo S. Dominici.

*Roſarium Cythara Dauidis.*

Concludamus ergò, & dicamus, quod ſicut ſoli canes oderunt lunam, & latrant contra eam: Stellæ enim omnes in circuitu Lunæ videntur eam honorare: Ita omnes pij honorant Mariam. Soli hæretici & impij oderunt, & eius cultum ac honorem, ideoque contra eam clamant. Sed ſicut fruſtra canes latrant contra Lunam, quia nihilominus ipſa pergit in curſu ſuo, & perſiſtit in luce ſua: ita fruſtra impij Mariæ cultum blaſphemis vocibus impetunt; ipſa enim pergit in Ordine ſuo, illuſtrans noctem, fugans tenebras, dirigens viatores, generans rorem, in inferiora hæc influens beneficentia ſua, verè Luna myſtica. Quemadmodum igitur Elephas dicitur ſingulis menſibus, ſiue in nouilunio, quadam ſui incuruatione Lunam honorare, & quaſi adorare. Sic & pleríque fideles ſingulis menſibus renouant pietatem erga Lunam noſtram myſticã, per ſacram confeſſionem ac communionem, aliaque deuotionis exercitia in honorem Virginis peracta, vt felix eis decurrat menſis eius benefica influentia.

Denique, verum quidem eſt quod quædam animalia venenata oderunt flores & roſas, vel certè earum ſuccum ſuauem in venenum amarum conuertunt, vt ſolet araneus. At apes ex illis mel ſuauiſſimum fauoſque dulciſſimos conficiunt. Et homines, qui Roſas vident, earum non ſolùm oblectantur intuitu, ſed etiam odore, guſtu, & fructu. Ex illis conficiuntur Conſeruæ ſaccharatæ ad ſuauitatem percipiendam, & ad medicinam languentis ſtomachi. Exſiccatæ quoque proſunt dolori capitis. Denique ex illis coronæ conficiuntur pulcherrimæ & odoratiſſimæ. Nos ergò, vt apes argumentoſæ, è Roſario Virgineo ſugamus ſuccum & mel ſuauiſſimæ pietatis; conficiamus & ex illo medicamenta profutura noſtris languoribus; texamus denique corollas, quas vertici Deiparæ cum honore imponamus, & cum lætitia cordis noſtri inde fructum percipiemus:

*Quale mel ex roſario virgineo ſugatur.*

*Purpureas præbete roſas, floresq; Mariæ,*
*Vt nobis fructum præbeat illa ſuum.*

Immò ex roſis conficiamus faſciculum, qui inter vbera animæ noſtræ commoretur, ſpirans ibi odorem ſuauem, & excitans noſtrum affectum. Certè quotquot animæ piæ Roſarium ex cordis imo pronunciant, quot ſalutationes Angelicas, tot Roſas plectunt, quibus Mariam coronant, vt ex multis exemplis conſtat, quæ hic prætereo, quia paſſim in libellis Roſarij reperiri poſſunt. Vnicum exemplum recens hic appendo de S. Roſalia Roſario addicta.

Hæc ex illuſtri ſtirpe Siciliæ orta, à teneris ſe Deo dedit, ac velut Roſa calyculum mentis ad radios Solis diuini explicuit, aulamq; deſpiciens, & domum paternam deſerens, in maximè deſertam ditionis ſuæ partem iter ſola ſuſcepit, ſed viæ comites habuit Angelos. In monte ſpecum ſibi elegit, quaſi ſpeculam è qua ad Virginitatis tutelam excubaret. Vtq; ipſos lapides haberet officij monitores, in eadem ſpelunca propoſitum ſuum lapidibus his verbis inſcripſit: *Ego Roſalia, Sinibaldi, Quiſquinæ & Roſarũ Domini Filia, amore Domini mei Ieſu Chriſti in hoc antro habitare decreui.* Fuit hic Sinibaldus, Princeps Quiſquinę & Roſarum, quę eſt Regio Siciliæ, ſic dicta, quod quouis anni tempore roſis vernet. Ibi herbarum radicibus & rore cœli victitans, totam ſe dedit orationi, lectioni, ieiunio, cilicijs, flagellis, Crucifixum ſemper in oculis & mente habens, cuius in aſpectu corde transfigebatur, & amoris jaculo ſauciata lacrymas profundebat. Inſtar Roſæ purpuream ſe Chriſto pingebat, flagello vſa pro penicillo, cruore pro colore. Ibi ab Angelo modum orandi edocta, Roſarium precum decurrens,

*Exemp.*


rens,

rens, tot Roſas, quot preces per Angelum tranſmiſit in calathis, ad Chriſtum & Virginem coronandos. Poſt mortem inventi ſunt globuli precarij circa pectus & inter digitos, quibus coronam Virgini Matri ſupplex offerebat. Quare viciſſim varia ab Angelis obſequia, & florum munera, recepit. Ac tandem ſub mortem à Chriſto Domino in gremio Matris, quaſi in thalamo regali, modulantibus Angelis, corona ex auro & roſis coronata, aſſiſtentibus SS. Petro & Paulo, quaſi ad cœleſtes nuptias inuitata, dormientis in morem ſe componens, ſola in ſpelunca, Angelis notiſſima, hominibus inacceſſa, efflauit animam in manus Chriſti & Mariæ. Atque Angelo duce, roſis etiam redimito, ad cœleſtem Sponſi thalamum deducta, in æternum triumphat, Conſtans eſt fama corporis eius inſtar S. Catharinæ Angelico miniſterio ſepultum fuiſſe, quod ipſum teſtatur ſaxum ingens, cui vndique concluſum fuit. Inventum eſt autem paucis abhinc annis poſt quingentorum ferè annorum latebras, & miraculis in Sicilia coruſcat. V. Cornel. in cap. 24. Eccli. Verſu 18.

---

## LECTIO X. TRIPART.

Thema, *Ego quaſi Aquaductus exiui de Paradiſo. Dixi. Rigabo Hortum plantationum mearum.* Eccle. 24.

*Pro Feſto S. Mariæ Angelorum ſiue 's Portiuncula.*

IN Cantico illo diuini amoris ſæpiùs Sponſa Sponſum invitat ad Hortum ſuum viſendum, ad colligendum lilia, fructus, flores, ad deambulandum inter areolas aromatum, & odores Hortorum. Ego invito vos hodiè, vt ſimul ingrediamur Hortum floridum, & quaſi quemdam Paradiſum voluptatis, mira varietate ornatum. Hæc erit Religio ſacra S. Franciſci, quam ego vobis repræſentare volo ſub ſchemate Horti floridi, polymiti, & odoriferi. Hic eſt Hortus Sponſi & Sponſæ Chriſti & Mariæ, in quo deliciantur: ideoque vobis declarabo primò, quomodò ipſa illam plantarit. 2. quomodò rigarit. 3. quomodò inebriarit, id eſt, omni benedictione repleuerit iuxta illud: *Ego quaſi Aquaductus exiui de Paradiſo. Dixi, Rigabo hortum plantationum mearum.*

*Eccli. 34.* PARS I. *Quomodo B.M.V. hortum ſuum plãtarit.*

PLantarat Deus Paradiſum voluptatis ad orientem, in quo omnis generis arbores fructiferæ, plantæ, flores odoriferi, & deliciarum abundantia: eratque habitatio Filiorum Dei iucundiſſima, temperatiſſima, ad Solis ſemper ſplendorem lucida, amabilis vndequaque. Erat & Lignum vitæ in medio Paradiſi, & Fons aſcendebat ad irrigandam eius ſuperficiem.

Hic Hortus exemplar erat Eccleſiæ Dei, quæ modò Vinea erat, modò Hortus manu Omnipotentis plantatus, plenus delicijs ſpiritualibus, & habitatio Filiorum Dei. *Eccleſia, inquit S. Auguſt. eſt Paradiſus: quatuor flumina, quatuor Euangelia, vel quatuor Virtutes Cardinales. Plantæ fructiferæ ſunt Sancti: fructus, bona opera: arbor vitæ: Sapientia Mater omnium bonorum, vel Sanctus Sanctorum. Arbos ſcientiæ boni & mali. Liberum arbitrium.* Ita Aug allegoriſans.

*Delitiarum Paradiſi Allegoria. 13 de Ciu. c. 21.*

Quæ quidem generaliter dicta de Eccleſia, particulariter dici poſſunt de nobiliſſima parte Eccleſiæ, ſiue de Religione ſancta: & maximè accommodare cupio Religioni S. Franciſci. Eſt enim Paradiſus quidam ſpiritualis, plenus delicijs, & reſpicit ad Orientem, ſemper ad Chriſtum reſpiciens, adorans & contemplans, admirans & amans.

*Ordo S. Franciſci ſpiritualis Paradiſus.*

Hortus eſt concluſus Sponſi, in quo delectatur, ibi arbores fructiferæ & flores odoriferi, ibi animæ omni virtutum genere perfectæ, ibi Philomelæ reſonantes laudes Dei, Turtur gemens, Columba meditans.

Ibi iucundiſſima habitatio, & delicioſa converſatio, ibi Lignum vitæ, Crux Chriſti, in qua gloriantur, profitentes in illo totã ſuam ſalutem, vitam, & gloriam adeſſe.

Denique, ibi Fons gratiæ, plantas irrigans, & fœcundans. Hunc verò Hortum à Diua Virgine plantatum aſſero, de quo introduco eam loquentem: *Rigabo Hortum plantationum, &c.* Nimirum ipſa eſt, quæ hunc Ordinem impetrauit à Deo, & Filio ſuo, ad converſionem peccatorum in vltimis ſæculis, ad reductionem errantium, ad renouationem memoriæ vulnerum Chriſti, per ſigniferum eius Franciſcum, qui hæc per ſe & ſuos in vniuerſum orbem deferre debebat, & ignem amoris iterum mittere in terram. Vnde poterat dicere: Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt ardeat? Corda frigida inflammare venerat, & primitiuæ Eccleſiæ feruorem in cordibus renouare fidelibus.

*B.M.V. Ordinem S. Franciſci impetrauit.* *Luc. 12.*

Vnde & ipſa Beata Virgo ad pacificandam iram Filij hunc famulum ei præſentauit, cuius opera animæ in peccatis fœtentes ad pœnitentiam convertendæ forent. An non ergò meritò hunc delicioſum Hortum plantaſſe ipſa dicitur?

*B.M.V. Hortum Franciſcanum plãtauit, &c.*

Hoc vlteriùs patebit, ſi advertas quod ipſe Franciſcus ſpiritum vitæ & perfectionis in Eccleſia S. Mariæ Angelorum primò hauſerit ipſa inſpirante. Puſillus grex ibi cœpit, grex cui complacuit Patri dare regnum Vnde ibidem voluit reddere ſpiritum vitæ, commendans gregem ſuum Virgini. Reddidit autem ſpiritum in illis verbis: *Educ de cuſtodia animam meam, ad confitendum nomini tuo.* Cùm noctibus ibi orationi vacaret, inſpirata eſt ei Regula ſua, & inſcripta in corde eius: quam Dominus poſtea vulneribus ſuis ſigillare volebat.

*Pſ. 141.*

Sicut ergò Moyſi cogitanti ædificare tabernaculum dictum eſt: *Inſpice, & fac ſecundùm exemplar quod tibi monſtratum eſt.* Ita & Franciſco cogitanti tabernaculum Dei erigere, tabernaculum paupertatis, humilitatis, patientiæ, ipſi inſpiratum eſt, vt exemplar in monte Caluariæ inſpiceret, Ieſum Crucifixum: cui ſeſe & ſuos conformare debebat, & hæres eſſe illius, nudumque nudus ſequi. Hoc totum factum eſt in illa Eccleſia, partim dum no-

*Deut. 25.*

cturnis meditationibus, partim dum ſacrificijs vacat.

Vnde ipſi Filijque eius ſicut ſe agnoſcunt Crucifixi nudi & pauperis filios ſpecialiter ab eo genitos; ita & Mariæ. Horumq; vita & Regula in duabus præcipuis Virtutibus Virginis eſt radicata, *in Humilitate & Paupertate*: quas Franciſcus ſibi deſponſauit, Filias æterni Regis, ab hominibus deſpectas, à Virgine & Filio honorificatas.

Dicat ergò vnuſquiſque Franciſci Filius cum ipſo: *O Domine, quia ego ſeruus tuus, & Filius ancillæ tuæ.* Hæc enim generat in eis ſpiritum vitæ, ſpiritum perfectionis & ſalutis, ſpecialiterque Mater eorum eſt.

Quia ſicut Idiota ad Virginem: *Sicut nemo venit ad Filium tuum, niſi Pater traxerit eum; ſic etiam quodammodò auſim dicere, quod nemo venit ad Filium tuum glorioſum, niſi tuis ſanctiſſimis ſubſidijs traxeris eum Trahe igitur me torpentem, vt me reddas currentem* Qui ergò trahuntur in ſtatu Religionis ad Chriſtum, per Virginem trahuntur: qui generantur ei in Religione, per eam generantur. Tot plantæ nouellæ, tot Adoleſcentum greges, qui de mundi deſerto arido & ſterili in hortum Franciſci transferuntur, vt floreant & fructificent, transferuntur per Virginem: & ideò rectè dicitur hortus plantationum eius Religio hæc ſancta.

*B. M. V. Genitrix Religioſorum.*

O felix Hortus Sponſi & Sponſæ, Chriſti & Mariæ! Felices ô plantæ, tali manu plantatæ, creſcite in omni perfectione ſub eius manu & protectione, donec in Hortum æternum transferamini! Felix Hortus, tripliciter concluſus & vallatus, voto Obedientiæ, voto Caſtitatis, voto Paupertatis. Securus erit à ſerpentis veneno hic hortus, quia eum plantauit illa, quæ eius caput contriuit.

Quia verò hic hortus à diuina manu & virginali plantatus fuit, ideò firmiter ſtabit, nec ventorum impetus, nec concuſſio quælibet Mundi, Dæmonis aut Inferni, potuit plantas eius convellere radicitùs, nec poterit. Vnde revelationem habuit Beatus Franciſcus, quod eius Ordo ſtabit vſque ad diem iudicij: ita vt ſemper ſint futuri aliqui in medijs perſecutionibus (quas Eccleſia paſſura eſt) etiam vſque ad Antichriſtum, qui Eccleſiam illuſtrent & fidem tueantur. Sæpius iam ab initio eis ſuſcitauit Satan procellas, vt eos diſpergeret: ſed ſicut Roſa, dum teritur, odorem dat ampliorem, & Palma dum teritur, magis erigit ſe; ſic hæc Planta diuina, omniſque plantatio, quam plantauit Pater, non eradicabitur. Protectionem eius ſemper etiam ſuſcepit Virgo, quæ eam cum Filio plantauerat. Quodam tempore dum Innocentius IV. miras contradictiones ſuſcitaret tam Ordini Franciſci, quam Dominici, & ipſi ad hanc tempeſtatem avertendam, ad Chriſtum & Virginem protectricem ſuam inclamarent in Litanijs, viſa eſt B. Virgo cum Filio in vlnis ad Filium dicere: *Fili mi, exaudi eos.* Et ſtatim pòſt Innocentius Neapoli graui morbo percuſſus, agnouit manum Domini, & graui pœnitentia ductus fuit: ita vt illa verba Pſalmi pronunciarit: *Propter iniquitatem corripuiſti hominem, & ſicut araneam tabeſcere feciſti animam eius* Et pòſt ſtatim migrauit. Ita Platus & alij ex Chron. Min.

*Quomodo hortus religioſorũ ſit concluſus.*

*Pſ. 38.*

Virgo eſt ergò quæ plantauit. Virgo eſt quæ protegit: & in hoc ſemper ſtabilis erit hæc Religio, quod radicata ſit ſuper pietate ad Vulnera Chriſti, & devotione ad vbera Virginis. Hæc eſt duplex radix immobilis, in qua florebit & fructificabit in æternum.

Ipſa autem quæ plantauit, etiam erigat, & rigabit. *Dixi,* inquit, *Rigabo Hortum plantationum. Ego Aquæductus qui exiui de Paradiſo* Virgo Aquæductus eſt, per quam Sapientia ad nos deriuari voluit. Exinde ſtabilita eſt tamquam Canalis aureus, attingens vſque ad Fontem æternitatis, per quem omnis ros gratiæ, omnis aqua vitæ, omnia dona omnis benedictio cœleſtis ad nos deriuatur. Hoc eſt idipſum quod dixit Bernardus: *Si quid ſpei in nobis, ſi quid gratiæ, ſi quid ſalutis, ab ea nouerimus redundare.* Rigat ergò hunc Hortum cœleſtibus fauoribus; ac primus quidem fauor ille eſt, de quo hodie hìc mentio. Cùm ſcilicet Virgo impetrauit à Filio immediatè Indulgentiam illam cœleſtem Portiunculæ, quam proprio ore dedit Chriſtus Franciſco: ita vt propter hoc ſuperet omnes alias, tamquam certior, ab ipſo ore procedens Veritatis. Quam vt confirmaret Vicarius Chriſti, in media hyeme procurauit, Virgo viginti quatuor Roſas, duodecim albas, & duodecim rubeas, quas deferret Franciſcus ad Vicarium Chriſti: quæ quidem Roſæ ſymbolum erant duodecim ſociorum eius, qui & puritate & charitate velut initia, & flores, fructuſque erant huius Horti, quem Dominus cum Maria recenter plantabat.

*Quomodo B. M. V. hortum ſuum rigauit & riget.*

Omnis ergò cœleſtis benedictio & fauor in Franciſci Ordinem ab illa deriuauit, quæ dicit: *Ego quaſi Aquæductus rigabo, &c.* Chriſtus rigauit has plantas ſuo Sanguine, Virgo ſuo lacte, hoc eſt, pietatis & conſolationum vbertate. Vnde quicquid boni in Ordine ſuo erat, agnoſcens à Virgine prodire Franciſcus, ſpeciali ad eam ferebatur affectu, ſpecialiter ei ieiunans Quadrageſimam à Feſto Apoſtolorum vſque ad Aſſumptionem Virginis, docenſque Filios ſuos ei ſpecialiter eſſe devotos. Hinc Domum B. Mariæ de Portiuncula, voluit fundamentum eſſe totius Ordinis. Ideoque & Virgo ſpecialiter Franciſci alumnos diligit. Licet enim ipſa plena amore & charitate generaliter omnes amet homines, & inſtar Solis, inquit Bernardus, indifferenter ſuper vniuerſum mundum radios ſpargat charitatis: tamen erga illos ſpeciali affectu fertur & fauore, qui eius ſe vouent ſeruituti, & qui eius velut plantatio ſunt. *Ego,* inquit, *diligentes me diligo. Ego Hortum plantationum mearum rigabo.* Certè cùm ipſi procurent vbique in animis aliorum Virginis cultum, tamquam Filij primo-

*S. Franciſcus omne bonum Ordinis ſui à B. M. V provenire agnouit.*

primogeniti filios nouos iam Virgini generantes, ſpecialem eius experiuntur fauorem. Et id quidem maximè, quia eorum vita imago quædam eſt exprimens Virginis vitam imitatio Caſtitatis eius, Paupertatis, Obedientiæ, aliarumque Virtutum, quas & amat & rigat in illis quaſi Aquæductus.

*Summo fauore B. M. V. dignata eſt Franciſcanos.*

Sæpè Franciſcus in raptu componebat verſus in laudem Virginis, & eos curabat per Religioſos cantari. Nihil quoque petijt per Virginis interceſſionem à Deo in fauorem Ordinis ſui, quin impetrarit. Quis ergò poſſit fauores exprimere, quos erga Franciſci Ordinem Virgo oſtendit? quanta conſolatione repleuit, vt ad ſingulas aduerſitates ſtatim recurrerent ad eam, velut ad vbera Matris, vbera conſolationis; velut pulli ad alas gallinæ.

Sæpius ipſa Franciſco, & filijs eius, puerum ſuum oſtendit, imò & amplexandum præbuit. Sæpius eos revelationibus, viſitationibus ſolata eſt: hoc erat rigare hortum plantationum ſuarum, vt abundans rore & benedictione cœleſti, germinaret lætabunda & laudans hæc ſancta Religio, cui *decor Libani, & gloria Carmeli* data erant. Ipſa ergò hunc ſuum Hortum rigauit iam ab initio, rigat & modo, & vſque in finem ſæculi rigabit, nec deerit ei vllo modo.

*Quomodo B. M. V. hortum ſuum inebriarit.*

INebriabo *fructum partus mei*, vel, vt alia lectio habet, *fructum prati mei*. Non ſufficit ei dicere quod rigatura ſit, ſed addit ſe inebriaturam, id eſt, abundantiſſimè repleturam omni rore, omni benedictione, hortum ſuum, tamquam fructum, quem genuit & plantauit.

*Religio S. Franciſci habuit Reges & Reginas. Pſ. 79.*

Vnde hæc ſacra Religio produxit omnis generis fructiferas arbores, omnis generis flores odoriferos, inter quos Sponſus delectatur; & de ea verum eſt: *Extendit palmites vſque ad mare, vſque ad flumen propagines ſuas*. Habuit arbores altiſſimas, velut Cedros Libani: Reges & Reginas: B. Henricum Regem Cypri: B. Ludouicum Francorum Regem: B. Margaretam Imperatricem de domo Auſtriaca: B. Elizabeth Hungariæ Reginam: B. Elzearium Comitem Ariani, & plures alios, qui velut Cedri eminuerunt, & nobilitate & ſanctitate. Vis Cedro ſublimiores?

*Pontifices Cardinales Archiepiſc. &c.*

Habuit Pontifices quatuor, Sixtum quartum. Nicolaum quartum, Alexandrum quintum, Sixtũ quintum; Cardinales quadraginta tres; innumeros autem Epiſcopos, vel Archiepiſcopos.

Sicut verò in horto diuerſæ Areolæ ſunt, & diuerſi flores, ita habuit areolam, in qua erant lilia. Animæ caſtæ ſunt, & ſanctæ Virgines, inter duras carnis mortificationes puritate eminentes, velut lilia inter ſpinas. Numerus earum infinitus, eſt ſub duce Clara, quæ & ipſa planta eſt & Filia Virginis: nam coram altari Beatæ Virginis in eadem Eccleſia de Portiuncula pallium ſiue veſtem Franciſci & ſpiritum perfectionis hauſit.

*Quæ ſint lia Ordinis S. Franciſci.*

Sicut Franciſcus innumerabilium Filiorum Dux à Virgine Maria conſtitutus fuit: ita & ipſa innumerabilium Filiarum Princeps conſtituebatur, quæ mundum & omnem ornatum ſæculi calcantes, ad Regis Regum & Reginæ Angelorum obſequium accederent. *Virgines adducentur poſt eam*, &c.

*Pſ. 44. Quæ roſæ.*

Eſt & Areola Roſarum, numerus Martyrum, qui pro Chriſti fide gloria dimicantes, proprio ſanguine purpurati in hac Religione meritis & miraculis florent. Inter hos emicant Gorcomenſes, fructus noſtri ſæculi, qui pro fide Chriſti glorioſè certarunt & triumpharunt, miraculis nunc clari Eccleſiam mirè decorantes. Iſti ſunt qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni. Iſti palmas in manibus habent, quibus ſuos excitant Fratres ad certandum.

*Vineæ florentes, &c.*

Sunt & in horto Vineæ florentes & fructificantes, quæ vino ſpirituali Eccleſiæ torcularia & cellaria impleuerunt. Hi ſunt Doctores illi Sancti, & Eccleſiæ Prædicatores, qui mirum in modum Eccleſiæ profuerunt: Bernardinus, Antonius, Bonaventura: Alexander Ales, & alij, qui infinitum numerum animarum verbis, ſcriptis, ſermonibus converterunt. Et hi omnes mira devotione erga Virginem floruerunt, per quam omni benedictione cœleſti repleti ſunt.

S Bonaventuræ affectus erga Virginem Deiparam ſatis elucet in Speculo & Officio quod edidit: vbi mellea eius verba ſcatent ex affectu pio ad Virginem, quæ & in animis aliorum ſimilem generant affectum.

*S. Bonaventura.*

S Bernardinus, adhuc juuenis, quotidiè egrediens portam Ciuitatis Senenſis, ibat ſalutaturus Virginem in quadam imagine. Cumque interrogaretur quò iret, dicebat ſe ad amicam ſuam ſalutandam ire. Poſtea Ordine profeſſus, cùm in recitandis ſalutationibus Angelicis feruens admodum foret, & mirè affectus, apparuit ei Beata Virgo, quæ hoc ſibi gratiſſimum teſtificans, dixit ſe eià Filio impetraſſe gratiam prædicandi & miracula faciendi: & exinde cœpit miraculis coruſcare, & verbo Dei miros fructus facere.

*Alexander Ales.*

Magnus ille Ales Lutetiæ celebris Doctor, vouerat ſe, quicquid peteretur in nomine Virginis, daturum; Cumque Frater quidam Minor ab eo petijſſet vt Ordinem ingrederetur, in nomine Virginis tamquam fructum multum facturus, ſtatim converſus eſt, & annuit in Virginis fauorem. Fructus ergò & planta Virginis fuit, quam rigauit & inebriauit multa ſapientia, & benedictione vberrima.

*Scotus.*

Scotus quoque Doctor ſubtilis, mirè Virgini devotus fuit, ita vt imago Deiparæ eum ſalutaſſe perhibeatur.

*Antonius.*

Beatus autem Antonius in omni aduerſitate repetebat & canebat hymnum: *O glorioſa Domina*: & fugabatur tentatio; illumque recitans ſpiritum reddidit Deo. Denique Capiſtranus, & alius quidam Oldoricus, Ieſus & Mariæ nomen & notitiam ad infideles perferentes, vnus quatuordecim, alter duode-

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

duodecim millia ad Chriſtum & Virginem adduxiſſe feruntur. Meritò itaque de S. Franciſci Religione dixerimus: O Felix Vitis, de cuius ſurculo tantum germen redundat ſæculo, Cæli vinum propinans populo, vitali poculo?

Hos omnes, tamquam fructum partus ſui, Virgo rigavit rore cæleſti, inebriavit amore ſuavi charitate forti, vino cæleſti: & quotquot in hac Religione fructum ferunt, ſciant ſe id ope Virginis facere, quæ adhuc nunc plantationem Franciſci rigat, & rore cæleſti perfundit, vt floreat, frondeat, & fructificet.

Ecce ergo Aquæductus qui egreditur de Paradiſo, ad rigandas animas noſtras, Chriſti plantarionem Roris per eum defluentis hodiè participes ſumus, dum de gratia Indulgentiæ quam impetravit à Filio hodie participamus. Et ſæpius certè nobis ad eam recurrendū eſt, quia *anima noſtra ſicut terra ſine aqua eſt.* terra arida, ſterilis, deſerta, quæ debet reſpirare ad fontem, accedere ad aquæductum, per quem fons gratiæ, ros vitæ, aqua ſaliens in vitam æternam, ad nos derivantur. In ipſa nunquam deficiens eſt hæc aqua, ſemper attingit fontem vitæ, habet hydriam Samaritanæ, qua poſſit haurire, &, ſi voluerimus, abundanter dabit, rigabit, inebriabit accedentes ad ſe ſincera voluntate & pietate. Ipſa eſt Aquæductus, abundantiſſime irrigans non ſolum cives cæli, ſed & incolas huius mundi, immò & animas purgatorij. Propterea & Indulgentia hæc Portiunculæ, ſive Domus S. Mariæ Angelorum, prodeſt Angelis & beatis ad accidentalem gloriam: prodeſt nobis ad peccatorum veniam & gratiam: prodeſt animabus in purgatorio ad imminuendam & relaxandam pænam debitam Aqua per Mariam, tamquam Aquæductum, derivata, irrigat terram ſitientem, extinguit ignem vrentem, infundit conſolationem, inebriat piam mentem, germinat vitam, parit gratiam, ſecum nos reducit ad Paradiſum vnde exivit, comparat gloriæ æternitatem, per quam tandem inebriabimur ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis potabimur in ſæcula ſæculorum.

*Pſal. 142.*

---

## QVADRIGA MARIÆ AVGVSTÆ

### TRACTATVS I.

*Piè elucidans Antiphonam Marianæ Laudis, quæ canitur à Penteсoſte vſque ad Domini Aduentum.*

### INTRODVCTIO,

LAudes & Encomia Deiparæ Mariæ compendioſè deſcripſimus in ſpeciali Opuſculo, quo interpretati ſimus Hymnū illū pietate melliflua refertum, *Ave Maris Stella.* Adiunximus & poſtmodum nonnullarum interpretationē Antiphonarum, quas devota & ſonora voce Eccleſia illi diverſis decantat temporibus. Non omittendū fuit Canticum illud celebre, *Salve Regina,* eiuſdem Deiparæ præconia complectens; quod à doctis examinatum, a ſerpentibus explanatum, ab vtriſque approbatum, cum iubilo Mater vſurpat Eccleſia, & in ore filiorum ſuorum optat eſſe frequentiſſimum. Huius autem primus auctor idē eſt qui Hymni *Ave Maris Stella*, Vir ſcilicet ille à doctrina & ſanctitate nominatiſſimus *Hermanus,* cognomento *Contractus,* Virginis favore doctrinā & pietatem miraculoſè adeptus, de quo egimus latius in Iutroductione ſeu Exordio Hymni ſupradicti. Proſequimur ergo hic Canticum noſtrū per ſingulos Verſus, cùm in gratiā Concionatorū & Paſtorum de Virgine frequentius diſſerentium, tum in gratiam piorum omnium Virginis Deiparæ cultui addictorum, qui lubente aure, & avide corde, excipiunt Matris ſuæ laudes polymitas & variegatas in diverſis Hymnis & Canticis. Tu, ô Virgo Mater, illuſtra intellectum, excita affectum, dirige ſtylum, vt ſingula quæ hic ſcribo, in tui Filij tuamq; gloriam, lucem videant vt poſſim dicere:

*Salve Regina conſcriptum à S. Hermano Cōtracto.*

*En numine iſthac inchoata ſunt tuo:*
*En lumine iſthac abſoluta ſunt tuo.*

---

Sec. I.

### Salve Regina.

NOnnulli inter Magnates huius ſæculi, ex ingenita ſibi arrogantia, inferiorum & infimorum ſalutationes tumido reſpuunt ſupercilio, eaſq; dedignantur quaſi ſublimitate ſuâ indignas. Non ſic Maria Deipara; quæ licet ſit Regina ſublimiſſima, & nullius rei indiga, gaudet à nobis inopibus & vilibus quotidie ſalutari, gaudetque noſtras ſibi à nobis miſerias exponi: nullum reſpuit, nullum tamquam importunum reijcit, nulli acceſſum denegat ad ſe, & Regiam ſuam Aulam.

*Salutationes noſtras B. M V. libēter audt.*

Non erat licitū, indutum ſacco Regis aulam intrare. Et in hiſtorica Ioſaphat refert S. Damaſc. à Palatij limine, & regijs oculis, communes etiam naturæ miſerias arceri iuſſas, vt nullus mendicus, æger, ſenex, claudus, cæcus, alijſque id genus malis obſitus, videri à Rege poſſet. E contra Regina noſtra hos in conſpectum ſuum venire vult, & à quātumlibet vilibus & ærumnoſis ſalutati peroptat. Non ſolum Angelorum, & ſpirituum cæleſtium, qui tamquam Principes eam circumſtant in magnificentia, ſed & noſtras ſalutationes cum benignitate & gaudio excipit, & remunerat. Hæc ergo Salutatio quotidiana ei ſanè perplacet *Salve Regina;* ſi ſit cum humilitate deprompta.

*Eſther. 4.*

*Nunquā contēnit.*

Illud verò obſervandum, quòd noſtra Salutatio ad Mariam directe, non ſit optatio proſperitatis ſicut inter homines; quandoquidem in ea omnis felicitatis reperiatur conſummatio, quæ neſcit incrementum: ſed eſt congratulatio, quia ei congaudemus de illa felicitate, ac de tot donis gratiæ & gloriæ: quâ etiam congratulamur ei & nobis

*Qualis ſit noſtra ſalutatio.*

quòd